




d. 10. July 71









00 la

M. Johannis Rhenij

3.

# DEFENSIO NECESSARIA

Sylloges & Paralipomenon con-  
tra M. VALENTINI HARTVNGI  
oppugnationem instituta.

*Aristoph. in Ranis.*

Ἐλέγχ, ἐλέγχ, λοιδορεῖσθ δ' ἔπειτ  
αἰδράσ ποιηταίς, ὡσπερ ἀρτοπώλιδας.



L I P S I Æ,

*Apud Christophorum Ellingerum Bibliop.*

Valentin Am Ende excudit.

ANNO M. DC. XII.

3

DE FERNIS

ALTES SAARLAN

ALTES SAARLAN  
ALTES SAARLAN

ALTES SAARLAN



ALTES SAARLAN



# LECTORI CANDIDO SALVTEM.

**R**ODIIT superioribus  
mundinis hic LIPSIÆ  
contra meam Syllogen  
& Paralipomena scriptum aliquod  
satis acerbum & maledicum auctore  
M. Valentino Hartungo, Scholæ  
trivialis in hac urbe ad D. Nicolai  
Correctore. Titulus inter alia sic  
habet : Pro defendendâ vetere  
Grammaticâ Dn. Philippi Melanchthonis;  
quam tamen nec ipse nec Collegæ  
ejus per integrum hoc quadrienniū  
juventuti in eâ scholâ proponendam  
judicarunt. Dolui autem vehementer,  
cum in totâ eâ chartâ nihil aliud, nisi calumni-

A 2 andi

andi atq; obtreſtandi ſtudium au-  
tori propoſitum fuiſſe appareret;  
nec quicquam inde ad veritatis de-  
ſenſionem, aut pueritiæ commodi-  
tatem erui poſſe videretur. Mira-  
tus quoq; ſum hominis tantam im-  
portunitatem & audaciam, qui à  
me nunquam in totâ vitâ meâ nec  
verbo nec factò leſus, imò ne com-  
pellatus quidem fuiſſet. Et ſi igitur  
nullo prorsus reſponſo dignum erat  
ſcriptum iſtud, à tali animo profe-  
ctum; tamen potiffimum Syllogen  
meam à calumnijs Antagoniſtæ,  
quibus meam fidem & candorem in  
allegando atq; interpretando Phi-  
lippitextu ſuſpectum reddere alijs  
conatus eſt, ab omni ejusmodi ſuſpi-  
cione liberare volui. Quâ ob cauſâ  
ipſo ſtatim mense Januario, quam  
primum alicujus exemplaris Har-  
tungi-

tungiani mihi copia facta est, tale  
quid justæ Apologie in chartam  
conjeci, & primarijs quibusdam  
viris in inclyta Dresdâ & VVite-  
berga judicandum, qua par erat  
ratione submissi. Nunc verò, licet  
Antagonistæ mei vanitates per se  
pateant, & nulla refutatione ma-  
gnopere indigeant: suaserunt mihi  
tamen aliquot boni viri, ut propter  
eos, quibus meacum Hartungianis  
conferendi vacuum tempus non es-  
set, breve hoc Responsum meum  
hiscè nundinis etiam publici juris  
facerem. Quorum judicio & vo-  
luntati nulla erat justa causa re-  
fragandi. Quapropter ita facien-  
dum putavi, & paucis tantum ea,  
quæ dubitationis forte aliquid ha-  
bere videri possint, expedi vi; reli-  
quis nugis, convitijs, calumnijs, &

scurrilitatibus omnibus auctori ac parenti suo relictis. Quod si tamen alicui fortasse brevitatis ista non sufficiet, eum rogatum volo, ut Dissertationem meam adeat, in qua pleraque fusius ac dilucidius explicata sunt.

Totum verò hoc meum institutum nemo candidorum virorum in eam partem interpretabitur, quasi nullum ferre possim contradicentem, qui praesertim animum habeat inquirenda atque illustranda Veritatis, & ad publicam utilitatem omnia referat. Veritas enim & Studium iuvanda rei literariae neque potest neque debet cuiquam bono displicere. Et ipsemet in omnibus à me divulgatis libellis animi benevole admonitionis patientissimum semper ostendi. Sed aliud est  
Veritatis



AD LECTOREM.

*Veritatis studio candidè admone-  
re aliquē: aliud, calumniari. Qua  
de re plura dicere nihil opus est. Tu  
amice Lector, benè vale, Et cause  
ipsius bonitati fave. Lipsiæ 30. Apr.  
Anno 1612.*

M. Iohannes Rhenius.

*RHENIUS, expurgans Augeæ stâbla, meretur  
Omnium amorem hominum, Sed tulit ille odium.*

Laurentius VVagener.





# DEFENSIO RHENII CONTRA HARTUNGUM.



*N* EXORDIO & ceteris primis pagellis quid aliud agit hic Antagonista, nisi ut crenâ penne seipsum depingat? Carpit ibidem duo vocabula; *Salveto* & *Arduior*. *Salveto* *Plautus* habet in *Pænulo*. *Arduior* non extat in meis *Grammaticis*. In *Dissertatione* autem, quæ pro *Docentibus* scripta est, pag. 86. hæc leguntur: Sic è *priscis* *Cato* dixit: *Arduius, arduissimus; perpetuius, perpetuissimus*: additurq; ibidem: Sed hæc *prisca* non sunt temere imitanda.

## SYLLOGE cum Antisylloge Hartungianâ

Pag. 4. Sic mihi obiicit *Hartungus*: Suspecta autem mihi primo videtur ista *Sylloge* *συχρητική*, cum tu sis *ἡγεμῶν*. Nemo autem in propria causa iudex esse potest. Sed admodum puerile est hoc. Collatio enim à me instituta nequaquam meo nudo nititur testimonio vel assertione, sed manifestis rationibus,

SYLLOGE.

9

bus, & usū Classicorum Auctorum, ut videre est in  
mea Dissertatione & majore Grammaticā.

Pag. 5. 6. & 7. meras nugas agit. Conferantur  
modò verba meæ Sylloges. Miscet libros, qui pueris  
ediscendi sunt, cum ijs quos docti viri legere solent.

Pag. 5. Sed quia monopolium ha-  
bes, vereor ut accendatur pretium.

Vt re ipsa demonstrarem, me Diaboli calum-  
nias, invidiam atq; odium magno animo contemne-  
re, DEI præsidio & bonitate causæ fretus etiam  
sumptus primæ editionis in me suscipere volui, quam-  
vis illâ tempestate & belli & pestis periculum ma-  
nifestum esset. Neq; me istius consilij & facti huc usq;  
pœnituit. Hoc enim modo cum multis doctis hic &  
alibi scripta mea facilius communicare, eorumq; ju-  
diciū & censuras exquirere potui. Puerilis autem  
est lapsus, Hartunge, quod in sensu affirmativo dicit:  
Vereor ut accendatur. Disce hoc è meo Compen-  
dio pag. 138. Sed fortassis eo mihi & alijs benè omi-  
naris.

OMISSA.

**U**T eò rectius & facilius de re tota judicare possis,  
amice Lector, ipsa verba meæ Sylloges hic tibi  
ob oculos ponam, Quibus postea Hartungi cavillatio-  
nem unà cum responsione mea subiungam. Sic è sola  
collatione statim patebit contradicentis vanitas,

SYLLOGE: Omissa sunt in vulgari-  
bus præceptis. I. Divisio Accidenti-  
um

um Partium Orationis in Generalia & Specialia. Ita enim non necesse esset, ut in singulis partibus postea Generalia (Species & Figura) repererentur. *Vide Compendium meum p. 3.*

HARTUNGUS: Hic dubium, an sit de essentia Ordinis, semper progredi à Generalibus ad Specialia. Et sanè quis Speciem perfectè intelligat absq̃ Genere? Semper ambo miscentur.

RHENIUS: Proprium esse Ordinis doctrinæ, progredi à Generalibus ad specialia, seu ab universalibus ad Particularia, norunt omnes eruditi. Sic enim Aristoteles I. Phys. c. 1. Δεῖ γὰρ ἐν τῶν καθόλου προοίεναι ἵππὶ τὰ καθέκαστα. Et hoc ipsum per ἀντιλογίαν fateris, cum dicis: Quis Speciem perfectè intelligat absq̃ Genere? Commodius igitur longè est discipulorum studijs, præmittere generalem ejusmodi divisionem Accidentium, & semel seu unica vice docere: Speciem & Figuram esse communia Accidentia omnium Partium Orationis; quàm oëties hoc modo repetere: Nomini accidunt Species & Figura: Pronomini accidunt Species & Figura: Verbo accidunt Species & Figura, Participio accidunt Species & Figura. &c. Iudicet qui judicare potest.

2, Tria Accidentia Nomini: Motio, Species & Persona. Quæ ex hypothese vulgaris traditionis addenda erant.

HART. Personam sustulisti è Donato, jam postli-  
winid

minidreducis. Miror autē superstitionē, cum Articulos in Latinis sustuleris, in Germanicis nō potueris.

RHE. In mso Donato sic docetur: Ego est primæ personæ: Tu secundæ personæ, Sui tertiæ personæ & c. Quid igitur hic desiderare potes? Idem ad unguem etiam habes in meo Compendio & in Grammaticâ. Vide pag 3. & 4. Compendij mei.

3. Quot terminationum sint Adjectiva, & quomodo dignoscantur, id est, quæ sint unius Terminationis, quæ duarum, quæ trium.

HART. Tam nē lippos nos esse, ut è Philippi Grammatica pag. 29 talia oculis non legerimus? Nova, nova hæc sunt, & recentia è viridibus Insulis.

RHE. Aperta falsitas & contradictio. Si enim in Philippo hæc extant, quomodo nova sunt & recentia è viridibus Insulis? Et licet Philippus doceat, esse quædam Adjectiva trium, duarum aut unius terminationis: tamen non explicat, quænam illa Adjectiva sint, & quomodo inter se discernantur, sicuti fit in meo Compendio pag. 6.

4. Comparativo carere: diversus, fidus, germanus, inclytus, invictus & c.

HART Qui tacet, consentire videtur. Philippus hæc reticuit. Ergo consentire videtur & c.

RHE. Quid vis tibi respondeam ad istas ineptias? Videant lectores & paginam 21. Philippi Grammatica, quam allegas, & similiter fallaciam tuam deprebendent. Imbecil-

5. Imbecillis vel us superlativo habere imbecillimus & imbecillissimus. Maturus verò maturrimus & maturissimus.

HART. ubi verò Exilis Exilior; Vilis, Vilior, Vilissimus: Durus, durior, durissimus, cur non durrimus. Sic in Thesauro Polyglotto Megiseri est à minimus minimissimus, miserimus, quod tu omisisti.

RHE. Mirum ni somnians ista scripsisti. Cur inter Omissa referrem hæc quæ Regularia sunt? Quæris autem cur sic & non aliter, Respondeo, Quia usus autorum & regula Grammaticorum ita docent. Supra Plautinum illud Salveto reprehendisti, iam in Compendio meo desideras Minimissimus & Miserimus. Quorsum ista puerulis? Sed & injuriam facis optimo viro Megisero, qui nequaquam Miserimus habet in suo Thesauro, sed Minimissimus tantum è Festo annotat doctis, non ut pueris inculcetur.

6. Superlativo carere: Adolescens, barbarus, cæcus, comis, declivis, proclivis, flebilis, infinitus, ingens, longinquus, propinquus, pronus, stabilis, supinus, juvenis, senex.

HART. Sunt hic, quæ nequeant. Quid enim supra aut ultra infinitum, cum planè non sit. Ergo non infinitissimum, nisi de DEO.

RHE. Qualia sunt isthæc? quæ coherent? Et quomodo his

do his verbis probatur, talia in vulgari Grammaticâ non omiffa esse? Hæc enim est Quæstio hoc loco.

7. Cujus Generis sint hæc Nomina, quorum Genus nec Præceptor, nec Discipulus è vulgari Grammatica majori cognoscere potest: Pascha, balista, cataracta, catasta, grandio, harpago, communio, consortio, conditio, ditio, perduellio, portio, sil, aëdon, alcyon, liber, fiber, coluber, scomber, tuber pro fructu & similia in ber, item in diameter, perimenter, artocreas, crysipelas, coles, forites, aromatites, absinthites & similia, item cenchris, unicornis, mugilis, cohsis, antidotus, atomus, dialectus, lecythus, hyacinthus, apus, tripus, chytropus, lagopus, penus (4. Declin-) gryps, princeps, tridens, rudens, occidens, oriens, confluens, profluens, animans, climax, atriplex, halex, thomex, fulix, junix, sandix, struix, bombyx, calyx, esox, volvox, tradux, larynx, & innumera alia, quæ ad Epicœnum & Dubium reijciuntur

reijciuntur, aut de quibus falsa Genera traduntur, ut in sequentibus patebit,

Præterea multa Fluviorum nomina in A, ut Matrona, Sequana, Druentia, Fulda, Lupia, Vistula, item Metaurum, Rhenum: & hæc urbium nomina: Hippono, Narbo, Aeragas, Præneste, Reate, Argos.

HART. Pascha ubi habes in Cicerone, Terentio? Reliqua partim Græca sunt, partim Latina in iō, Verbalium significatione. Ergo Fœminina.

RHE. Si verba reponere esset refutare, iam etiam hanc Thesin evertisses. Pascha, inquis, non habetur in Cicerone. Sed num iccirco Genus ipsius in Grammaticis ex Analogia tradi non debet, deficiente usu Latinorum autorum? Ain' tu reliqua Græca esse? Et licet nonnulla Græca sint, & Latinis tamen auctoribus nihilominus usitata, num iccirco de Genere illorum in Grammaticis Latinis nihil tradendum? Cur igitur in tuâ, quam defendere scilicet vis, Grammaticâ per omnes terminationes, Græcorum Genus exquiratur? ut, In TA Verbalia & Gentilia, quæ Græcè in της desinunt, pleraq; Masculina sunt: Verbalia Græca in MA tertiæ Declinationis Neutra sunt. Græca in E Fœminina sunt &c. Neq; enim apud Græcos & Latinos idem semper Genus ejusdem nominis



minis retinetur, Exempli gratiâ: Charta, margari-  
ta, balista, catasta, cataracta Græcis sunt Masculina  
tantum, Latinis autem fœminina tantum. Sic & alia  
quam plurima variant. Porro à quibus verbis deri-  
vantur: Communio, consortio, conditio, ditio, perdu-  
ellio, portio? Sunt enim hæc tibi Verbalia. Vides igitur,  
quàm nihil nisi meras nugas afferas.

### 8. De Dativo & Ablativo i Declinati- onis, Animabus, asinabus, servabus, sociabus.

HART. Unius inclusio non est alterius exclusio.

RHE. Quis talia legens risum contineat? Si ista sen-  
tentia vel Maxima tua mihi incidisset, cum Syllogem  
adornarem, toto hoc Omissorum numero superse-  
dere potuissem. Quia unius Inclusio non est alterius  
exclusio, & iccirco posito uno, ponitur quidvis ali-  
ud. Si deberem alicui centum thaleros, omnes ex-  
solvissem, si quinquaginta ei numerassem. Quare?  
Quia unius inclusio non est alterius exclusio. Ita  
verborum inanitate ludis lectorem. Sed cur non Au-  
torum exempla adscripsisti de famulabus, ministra-  
bus, herabus, promabus, condabus? Ad 9. The sin si-  
militer nugaris.

### 10. In tertia Declinatione IM tantum facientia in Accusativo, Præsepis, cucumis parisyll: ravis, amussis.

HART Præsepis an non Parisyllabum? Quis un-  
quam amassem?

RHE.

RHE. *Siccine fucum facis Lectori? Quasi ego in mea Sylloge vel Præsepis negarem esse parisyllabum, vel Amussem in Acusativo ponerem. Distinguo tantum inter Cucumis Parisyllabum & Imparisyllabum. Quod si Parisyllabum est, habet Cucumim tantum, quod annotari debebat in vulgari Grammatica, sicut & Amusim tantum. Cucumis autem imparisyllabum habet cucumerem à cucumer. Vides itaq; discrimen, & veritatem meae sententiae.*

II. EM & IM facientia: Strigilis, clavis, aqualis.

HART. *Quis nolit clavem præ clavim? aequalem præ aqualim?*

RHE. *Idem & ego doceo in meo Compendio pa. 31. etiamsi utraq; terminatio apud probatos autores occurrat. Sed tu ostendere debebas, in vulgari etiam Grammatica horum mentionem fieri.*

*Sic ad Thesin 13. 14. 15. 16. 20. 21. &c. aut nihil, aut inanem verborum strepitum affers.*

Quæ Syntaxis sit

31. Pecunia cuius avidus est mundus.  
Is cui amicus es. Honor quo dignus es.

HART. *Pecunia cuius avidus est mundus, scilicet sola est. Iam applica ipse ad Relativum cum Antecedente. Aut refer ad ista: Parmenonem, quem convenire volui, non erat domi.*

RHE. *Demiror ego tuam  $\kappa\acute{\epsilon}\iota\sigma\iota\nu$ . Sensus meae Sylloges est:*

est: Regulam illam, Relativum cum antecedente Substantivo &c. esse imperfectam, propterea quod casus Relativi non tantum sequenti Verbo, sed etiam Nomini aut Praepositioni respondeat. Iam etiam si dicam: Pecunia sola est, cujus avidus est mundus: nihilominus manet ille defectus, ut Genitivus casus Relativi, nimirum Cujus, non Verbo alicui, sed Nomini Adjectivo avidus respondeat. Sic neq; alterum exemplum: Parmenonem &c. quicquam huc facit. Nam in eo Casus Relativi respondet Verbo sequenti.

32. Cur Gladius ultor & non ultrix dicamus, item pecunia regina, non rex: lauri victrices & non victores.

HART. Hebetis esset ingenij, qui talia non perciperet.

RHE. Omnis oratio, cui nihil subest rei, vana est & inutilis. Neq; enim omnibus patet, cur Lauri victrices & non victores dicamus &c.

33. Longior sum te digito. Hic me major est quatuor annis.

HART. Duplex hic est Constructio: Longior te, Deinde, ut dico longus digito; sic etiam longior digito.

RHE. Duplex quidem est Constructio, neq; id negat vel Sylloge vel Compendium meum, Sed illud nihilominus falsum, quod Longus & Longior, respectu mensurae vel spacij, habeant eandem Syntaxin, quae admodum avidus cibi, & avidior tibi aut similia. Nam Longus recipit Accusativum, Genitivum &

B

Ablativum

*Ablativum mensuræ vel spacij. Exempla vide in meâ Grammaticâ pag. 169. 170. Longior autem mensuram vel spacium exprimit solo Ablativo, vide ibidem pag. 170. & in meo Compendio pag. 105. Parem inscientiam prodixit in Thesi 35. in exemplo; Major est annis quatuor. Nam peculiaris est constructio Adjectivorum cum Nominibus mensuram aut spacium significantibus, quæ cum reliquis non est confundenda.*

34. Propior montem. Proximus Pompejum sedebam. Cic.

HART. Derivata sunt. Primitivi igitur Constructionem imitabuntur. Et an non talia extant in Grammaticâ. Vt enim propè urbem dico: ita propius & proximè eam.

RHE, Committis hîc Fallaciam plurium interrogationum. Aliud est loqui de Adverbijs; Aliud de Nominibus, quæ ambo tu confundis. Nusquam ego de Adverbijs negavi, quod extant in Philippo, sed de Nominibus tantùm, ut exempla meæ Sylloges ostendunt. At verò, Derivata, inquis, Constructionem Primitivi sequuntur. Respondeo, Non est hoc universaliter verum. Exempli gratia: Similis hujus, & huic rectè dicimus, sed iccirco non rectè quis hinc concludat, etiam Derivatum Adverbium Similiter Genitivum & Dativum adsciscere. Nemo enim, quod sciam, Similiter hujus dixit. Audi aliud: Plenus habet Genitivum & Ablativum, Num igitur & Plenè, quod hinc derivatur? Minimè gentium. Et talia sexcenta tibi in contrarium asferre possem, si opus esset.

Vides

Vides igitur, quòd hic etiam me iniustissimè reprehenderis. Lege in meo Compendio Regulam 17. pag. 106. & confer eam cum vulgari traditione.

36. Satis sanus es, qui me id rogites? id est, quòd rogites, Dignus est, qui ametur, id est, ut ametur. Cur *Qui* hoc loco habeat Coniunctivum,

HART. Ambages & deliramenta novæ interpretationis.

RHE. Quidni metuas tibi ab hoc Critico Linacer, qui pag. 168. totidem verbis hoc tradis cum meo Compendio pag. 108. Sed satis hæc cuivis plana sunt, ut nihil quicquam tibi obesse possit levicula ista Cavillatio.

37. Ulciscuntur cum mores sui. Trahit sua quemq; voluptas. Cur hic Reciprocum usurpetur,

HART. An non hæc in Syntaxi Pronominum p 372?

RHE. Tu non dubitas, quidvis temerè affirmare & reprehendere, dummodo suspecta reddere queas, quæ à me tradita sunt. Habet quidem Micyllus pauxillum quippiam de Relativis. Sed quòd hæc exempla cum ratione aliqua ad Regulas Micylli accommodari possint, sicut & alia quam plurima, quæ habentur in mea Grammaticâ paginis 182. 183. 184. 185. id verò pernego. Vide hac de re meam Dissertationem.

38. Vide quid agas, Dic cur properes.

B 2 scrib

scribe an acceperis literas: cur in his & similibus ponatur Coniunctivus.

HART. Vide quid agas. Ratio est manifesta. Perinde est: Vide quod cum agas, quorsum evadat.

RHE. Queritur in hac Thesi, quam ob causam, vel per quam Regulam vulgaris Syntaxeos, particule QUID, CUR, AN, & similes in propositis exemplis recipiant Coniunctivum.

Hic tu pro responsione ineptè garris; Vide quid agas, esse idem ac si dicas: Vide quod cum agas, quorsum evadat. ἄδὲν πρὸς ἕπος. Et quero iterum: Cur particula QUORSUM à te hic posita habeat Coniunctivum? Hic tantundem atq̄, antea respondere potes. Habet hoc meum Compendium pag. 110.

39. Tu evades vir doctus. Christus natus est homo.

HART. Pertinet ad Regulam: Verba Substantiva precedunt.

RHE. Ergò obtrudis Philippo adhuc duo verba Substantiva. Qua de re iudicent, qui hac legunt, Et tamen ista negas omissa esse.

40, Mihi bene est, id est, habeo benè, affectus sum. Natura tu illi pater es, consilijs ego.

HART. Est mihi benè, id est, habeo benè. Pertinet igitur ad regulam. Verbo EST habendi significatione. Et.

RHE,

RHE. In hac regula EST significat possessionem, non affectionem. Igitur non potest ei subijci hoc exemplum.

41. Nitor hac re. Victito vel vivo lacte. carne. Laboro, feбри, frigore. Stare opinione alicujus. Homo constat animo & corpore.

HART. Omnia habentur in Philippeâ Syntaxi, ut pag. 410. Laborare feбри, morbo. Victito autem ais non ad vescor commodè referatur?

RHE. Omnia in Philippo haberi dicis, & vix unicum affers, Laborare feбри, morbo, Quod quidem exemplum ego non negavi extare in Philippo, sed per quam regulam Syntaxeos, Laboro Ablativum adsciscat. Vide Compendium meum. p. 119. Victito autem ais ad Vescor referri posse. Si ita puero divinare & ratiocinari licet; eadem facilitate quoq; Edo, Comedo, Bibo Ablativum adsciscere concludet. Nam ista multò rectius & commodius ad vescor referri posse videntur, quàm Victito. Vide igitur quorsum tandem evadat tua  $\chi\rho\iota\sigma\iota\varsigma$ .

42. Belli vel domi Rempub. augeant,

HART. Domi militiaq; (quod tibi est Belli, & acumen ingenij) habetur ibidem Pag. 422. ex Terentio in Adelphis.

RHE. Rursum hinc prodis inscitiam tuam, simulq; voluntatem audacter negandi. Nā hoc ipsum exemplū: Belli vel domi Remp. augeant, extat apud Ciceronem

2. off. Et ubi est hæc Constructio: *Belli augeant, in Philippo vel Micyllo?* quod tu modò affirmabas. Neq̄ enim ex similibus statim colligere aliquid licet, ut *Thesi præcedente* sitis demonstravi.

43. Scio te esse acri ingenio, rem tibi esse cordi.

HART. Scio te esse acri ingenio, recita Regulam: Substantivo item Verbo subiicimus. *Tibi esse cordi, curæ: Quibusdam verbis gemini Dativi. &c.*

RHE. An nescis tu de Infinitivo ESSE peculiarem tradi Regulam in tua Syntaxi Casus sequens Infinitivum ESSE convenit cùm proximo Casu præcedente? Iam accommoda duo ista Exempla, quæ omninò ab hac Regula excludi nequeunt. Vide meum Compendium pag. 125.

44. Verba mercandi, Verba nuncupandi, Vsus loquendi, Consuetudo disputandi. Ferrum habile tundendo Plin. Charta inutilis scribendo. Idem. Aptus ad gerendum res magnas. Fessus currendo &c. Applicentur his regulæ vulgares de Gerundijs.

HART. Elliptica sunt, id est, Verba habentia vim seu potestatem mercandi. &c

RHE. Placet hæc explicatio, sed cur non procedis? Vsus loquendi, id est, Vsus habens vim seu potestatem loquendi.



loquendi. Consuetudo habens potestatem disputandi. Vide quam pulchrè hæc explicueris. Præterea posito hoc, non concessio, res tamen eodem redibit. Nam & vis seu potestas mercandi &c. pertinet ad hanc regulam: Substantivum Genitivo casu jungitur. Quod enim Gerundium non sit Verbum, sed nomen, cuius sano per se patet. Quia nimirum declinantur per Casus, & neq̄ Pronomen est, neq̄ Participium. (Hæc tria enim tantum per Casus declinantur.) Participium non est, Quia non est Adiectivum, sed Substantivum, cum non nisi unum habeat Genus, videlicet Neutrum. Neq̄ obstat, quod Casum Accusativum, vel alium sui Verbi post se regat. Nam hoc inde existit, quod Verbale est, sicut Participium non desinit esse Nomen verbale propterea, quod Accusativum vel alium verbi Casum adsciscat. Sic & alia Substantiva verbalia interdum Casum verbi sui retinent, ut patet ex his Ciceronis Exemplis; Multos ejus honoris video esse fautores. Facite ut vestra autoritas meæ autoritati faulrix sit. Iusticia est obtemperatio scriptis legibus?

Sed cur non etiam ad reliqua mea exempla Regulas depromis è tua Syntaxi Gerundiorum? Quid obmutescis

146. Præceptum ad iram. Pietas erga Deum. Gratus pro officio. imparatus à pecunia &c. Regula enim vulgaris sic habet: Præpositio circumstanti-

am verbis annectit. Adde igitur & Nominibus.

HART. Præpositio circumstantiam verbis annectit. Quoties verbum, vox, vocabulum, nomen confunduntur?

RHE. Ain' tu, quod in hac Regula VERBIS idem sit quod vocibus seu vocabulis, ut sensus sit: Præpositiones circumstantiam vocibus annectunt? ô acumen! Quis unquam ita hoc interpretatus est? sed id longè subtilius, quòd Philippum idem sensisse probat ex hoc exemplo; Ad calendas Gracas scilicet accipies. An non enim Verbo accipies Præpositio circumstantiam annectit? Quomodo igitur hinc consequens est, quòd particula VERBIS equipolleat dictioni vocibus.

47. Rogabo patrem, ut mittat mihi necessaria. Orare iussit hera, ut ad se venias. Teren. Homo creatus est, ut DEUM agnoscat & celebret. Velim ita fortuna tulisset. DEUM precor, ut hic dies tibi feliciter illuxerit.

HART. Purum putum mendacium, cujus te convincent Regula 2. Exceptiones in cōiunct. Syntaxi p. 458.

RHE. Accedite propius, ô boni lectores, attendite & videte hominis accusationem, qui vel Solem in meridie negare ausit. Exemplum quidem illud Terentianum: Orare iussit hera, ut ad se venias, extat in Philippo, sed tantum cum respectu ad Modum Coniunctivum,

unctivum. non autem ad Tempus, de quo solo ego hic loquor. Ostende igitur, si vir es; unicum tantum apicem in toto Philippo, in toto Micyllo, per quam Syntaxin hæc tempora se invicem sequantur: Rogabo ut mittat. Creatus est ut agnoscat, Velim tulisset. precor ut illuxerit. Ostende si potes vel Regulam vel Exceptionem, aut agnosce hanc tuam audaciam & temeritatem.

## DE PROSODIA.

SI. Anceps esse PRO in procumbo, propulso, professus, propino.

HART, Par injuria. Vide in ipsius Prosodiâ p. 488. A Propello autem est propulso. Prosteri autem expressæ habet.

RHE. Ex falsa tua Hypothesi tu injuriam effingis, & rursus affirmas id, quod probare non potes. Etsi enim propulso est à propello, & professus à profiteor, tamen hinc non statim sequitur, quod eandem habeant quantitatem. Ambitus Nomen, & ambitus Participium sunt ab Ambia? item staturus & status à statum, sed iccirco nequaquam sunt ejusdem quantitatis. Sic Professus habet quidem primam ancepsitatem; at verò de profiteor nec Philippus, neq; alius quispiam eruditorum, quod ego sciam, id asseruit. Vides igitur, quam lubrica fallaxq; sit tua ratio, tuaq; crisis, & quam iniuste me injurum erga Philippum appellaveris.

52. Breve esse P R O in Procellois, & procella, profectò, profestus, item in Propheta, propola, prologus.

HART. Profectò ex Proficiscor, sequetur igitur indolem. Vbi autem extat Procello? Reliqua è Græcis præpositionibus dependent

RHE; Quis nisi HARTUNGUS noster divinare posset, Adverbium profectò esse à verbo proficiscor? Et si maximè quis sic putaret, num propterea de Quantitate certus esset? Procello est apud Lucretium: Turbinis immanem vim provomit atq; procellit. Reliqua è Græcis Præpositionibus, inquis, dependent. Quid nã? Est petitio principij. Num ergò non sunt ommissa? Non sunt de his necessaria Præcepta? cum præsertim apud Latinos poetas legantur. Sic Propino, habet primam ancipitem, etiamsi Græcum sit.

54. Eja, ita, postea & quia corripere ultimam,

HART. Quis, quæso, producit hæc, nisi infans in Metrica arte?

RHE. Ergò sequitur Conclusio, videlicet, non esse hæc ommissa in vulgari Grammaticâ, neq; pueros de eorum quantitate monendos.

55. Vocativos à Masculinis in A S I. & 3. Declinationis produci, ut Ænea, Atla, Calcha, Palla.

HART. Nunquam Philippo lectus Maro:

Nunc

Nunc animis opus Aenea, nunc pectore  
firmo.

RHE. *Quaestio non est, an Philippus Maronem legerit, aut ista nesciverit: Sed an talium quantitas doceatur in vulgaribus praeceptis, Quorum hoc à te ostendendum erat,*

56. Nisi, quasi, sicuti & Græca in y corripere ultimam.

HART. *Lubrica & dubia hæc, malleme cum Philippo referre ad mihi, tibi, sibi, ibi &c. cur ita? Quia omisisti veluti & uti.*

RHE. *Tu quidem pro tuo cerebro ista ad communia seu indifferentia referres. Sed nemo doctorum tuam autoritatem attendit. Et quid sibi volunt hæc verba: Cur ita? quia omisisti veluti & uti. Pertinent ista ad Regulam meam: I & U producuntur, igitur non potui nec debui ea excipere tanquam brevia, donec exemplum aliquod afferas.*

57. Ergò pro causâ esse perpetuò longum: Cedò pro dic semper corripì.

HART. *Ergò non pro causâ, sed opere. Quia deducitur ab Ablativo ἐργω.*

RHE *Subtilitatem istam non omnes capiunt, Ergò deducitur à Græco ἐργω, id est, opere. Exempli gratiâ: Moris & honoris ergò, id est opere. Acutum est hoc.*

58. Atticos Casus in O N produci, ut  
Androgeon.

HART.

HART. Nihil novi, sed omnibus notum, ω esse longam vocalem.

RHE. Expresse asseritur in Philippo seu Micyllo: Accusativos in ON & IN corripi. Quapropter omnino Casus Attici in ON excipiendi erant. Quod si verò in Græcis dictionibus, ut tu putas, ω semper producit, qui sit, quod Plato, Agamemno, ex Græcis πλάτων ἀγαμέμνων brevia reperiuntur? Sicut multa alia, ut Rbetor, Hector, Pater, Mater & similia, quæ ex longis orta, tamen nunquam producuntur.

59. A Regula: Græca in ER tertiæ Declinationis producuntur; excipienda erant pater & mater.

HART. Pater & Mater secluduntur, quia aliter usurpata reperiuntur.

RHE. Hoc ipsum & ego dixi, quòd excipienda fuissent in vulgaribus præceptis. Quid igitur inanitate verborum molestus es?

60. Vas vadis, corripi.

HART. Tu autem omisisti eras, foras &c.

RHE. Si vera loquereris, juste reprehendendus essem. Sed falsi testimonij te convincit meum Compendium p. 148. ubi sic legitur: C, A S, E S, & OS longa sunt.

61. Es ab Edo esse longum.

HART. Es pro edis è concisione liquet.

RHE. Quasi verò Syncope seu concisio longas semper efficeret syllabas. Contrarium potius apud Græcos & Latinos

Latinos sæpiſſimè occurrit. Præterea fictum & falſum eſt hoc, quod ES pro edis concisum eſſe ſtatuis. Nam Edo peculiarem etiam habet Conjugationem ex verbo Sum: ut. Es, eſt, eſtur, es, eſto, eſtote, eſſem. eſſe, ubi nulla conciſio locum habere poteſt.

62. Græca in IS perentis & inisdeclinata produci: et Simois, Delphis.

HART. Græca ſunt. Ex Græcis igitur cognoscenda.

RHE. Cur igitur cætera Græca Latinis uſitata, in Profodia Latinâ traduntur? Perluſtra omnes pagellas veſtræ Profodiæ, omnes Regulas & Exceptiones excute. Nimirum Græcam Grammaticam poſt Latinam demum pueris tradimus, præſertim Profodiæ Græcæ præcepta.

63. In hac Regula: Verba 2. Perſonæ præſentis quartæ Conjugationis, aut Coniunctivi Modi produciunt ultimam, addendum erat: in Singulâri Numero - Nam auditis, audiatis Itis, ſitis, poſſitis &c. corripiunt IS

HART, Ergò etiam cum dicitis, lis glis, longa ſunt, addi debebat in Nominativo tantum. Quia in Genitivo gliris litis, is breue eſt.

RHE, Non eſt par ratio. Hic enim de certis vocabulis definite aliquid aſſeritur: illic indefinite, de Verbis 2. perſonæ præſentis &c. ubi numeri mentio addenda eſt.

3. Falſitate

3. Falsitate & Veritate præceptionum  
Non rectè enim vulgò docetur:

1. Nomen primâ divisione dividi in proprium & Appellativum, & hoc demum in Adjectivum & Substantivum. Sic enim propria nec Adjectiva essent, nec Substantiva. Solum enim Appellativum dividunt in Adjectivum & Substantivum. Contrarium autem videmus è Syntaxi, quando ad hoc Exēplum: Magnus Aristoteles, respondemus, Adjectivum & Substantivum &c. agnoscentes nimirum Proprium pro Substantivo. Vide Dissert.

HART. Philippus exstinxit hunc ignem, cum ait. Individuum dici secundum propriam Substantiam. Et post à Subsistendo, quod per se subsistens aliquid significet. Excluserit ne igitur hac à Substantivis? At non preposuit, ideoq; malè membra subsumpsit. καὶ ἐξ ὧν hoc fecit, non secus ac Aristoteles primam Substantiam πρῶτην καὶ κυριωτάτην appellat. Quòd autem addis propria nec Adjectiva fore, ludis ambiguitate vocis. Accidentia enim sunt duplicia: Alia propria, alia communia. An verò accidentia sint individua καὶ δ' ἀνὸνego &c.

REN.



R H E. *Quantopere te torques, ut pro refutatione, verborum aliquem strepitum oggeras lectori. Sed adeo evidenter ego in Dissertatione mea falsitatem istius divisionis probavi & demonstravi, ut ne hiscere quidem contra meas illic allatas rationes queas. Omnia, quae affers sunt aliena, & seipsa refellunt, Quæstio non est, an Individua aut Propria per se sint substantiva; sed an non istis divisionibus Nominis, Propria à Substantivis excludantur. Vide rationes in meâ Dissertatione; Quas quidem te non intelligere satis patet ex ijs, quæ hic scripsisti. Equidem indigna ea judico, de quibus vel unicum verbum tecum commutem. Sicut & alia, quæ insequentibus parum Logica admiscuisti, intelligent, qui non planè alieni sunt ab hac arte.*

2. *Adjectivum dici ab adjacendo, quòd adjaceat & inhæreat subjecto alicui: Substantivum à subsistendo, quòd per se subsistens aliquid significet. Nam Adjaceo habet in supino Adjacitum, non Adjectum, quod ab Adijcio est. Et sic corporeus, animatus, ferreus, ligneus, aureus non essent Adjectiva, nec virtus, calor, Substantiva.*

*Philippus pag 15. sic habet: Nisi adijciatur. Et quid impedit, quò minus adjacens idem sit ac Adjectivum,*

*Est*

Est enim ἐπεριστώδες, nec de essentia. Exceptis ijs de DEO loquendi modis. Quando enim dico: DEUS OPT. MAX. Hic Adjectivum nullum est. Quia DEO nihil adijcitur, nihil etiam detrahatur.

RHE. ô acumen verè Philosophicum. Verba Micylli hec sunt; Nam ab adiacendo alterum, hoc est, quia adiacet & inheret subjecto alicui, dictum est Adjectivum. Quod si verum est, certè animatus, sentiens, rationalis, corporeus &c. non erunt Adjectiva, cum presertim te doctore adiacens & Adjectivum idem sint, & neutrum de essentia, sed utrumq; ἐπεριστώδες. Qualia certe suorum subjectorum respectu nequaquam sunt, quæ modò enumeravi. Excipis autem sola DEI attributa, de quibus parem justitiam prodis, quando negas, in hac formâ: DEUS OPT. MAX. nullum reperiri Adjectivum. Propterea quòd DEO nihil adijciatur &c. Num igitur in Philippicâ illâ descriptione, quâ DEUS dicitur, Essentia Spiritualis, intelligens, aeterna, verax, bona, justa, casta &c. nullum reperitur Adjectivum? DEO enim omnia hæc sunt ἐπεριστώδες nullum ἐπεριστώδες. Vide quàm pueriliter sentias de tritissimis hisce rebus, etiamsi hoc loco multa inania verba de Scaligero, Lipsio, Metaphysicis & Logicis terminis profundas. Satius tibi fuerit deinceps à doctiore aliquo discere, quomodo Grammatica differat à realibus disciplinis, & quâ ratione sibi homo DEI essentiam, secundum suum intelligendi modum, cogitando in formare, eamq; describere in hac vitâ possit. Magna vel speciosa verba non

ba non implent saccum, ut vulgò dici solet. Thésin  
3. 4. 5. 6. & 7. meris ineptijs oneras, multosq; ijs pue-  
riles errores admisces. De quibus omnibus te rectius  
edocere, non est hujus temporis & instituti.

8. Moveri, id est, sub diversis generi-  
bus diversas terminationes habere  
omnia Adjectiva, quæ R IS US aut  
AS finiunt. Applicentur enim par,  
degener, uber, pauper, memor, Ar-  
pinâs, nostrâs, dis, vetus intercûs &c.

HART. Philippus inquit pag. 21. diversas termina-  
tiones. Iam subsumo, par, degener &c. non habent  
diversas terminationes, sed unam. Non igitur huc  
pertinent.

RHE. Verba majoris Grammaticæ sunt hæc: Move-  
ri quidem ea Nomina dicuntur, quæ ab eodem the-  
mate cadentia diversis generibus diversas termina-  
tiones habent, ut omnia Adjectiva, quæ R, IS, US, aut  
AS finiunt. Hinc ego sic argumētor, attende HAR-  
TUNG E.

Quacunq; nomina moventur, illa ab eodem  
themate cadentia diversis generibus diversas termi-  
nationes habent.

Atqui omnia Adjectiva, quæ R, IS, US aut AS  
finiunt, moventur.

Ergò omnia Adjectiva, quæ R, IS, US aut AS  
finiunt, diversis generibus diversas terminationes  
habent. Major & minor Propositio est in textû. Sed

C

Conclusio

*Conclusio, quod exempla mee Theseos probant, nihilominus est falsa. Ergo & alterutra premissarum, cum ex veris non nisi vera sequantur. Non autem Major, Ergo minor. Et per consequens, tu injustissime & petulanter his me criminaris.*

*De Genere & regulis Generalibus.*

*II. In I. & 2. regula Generali per Nomina virorum & mulierum intelligi tantum propria nomina, ut exemplis subjectis vulgò se declarant. Sic non pertinebunt ad has regulas: Rabula, mastigia, scurra, crumeniseca, fur, latro, homicida, Homeromastyx, pellex, meretrix, saga, venefica, &c. Hæc enim nec Propria, nec officiorum nomina sunt. Officiū semper significat aliquid bonum & honestum, à DEO mandatum, estq; abstractum nomen: ut, Consulatus &c.*

*HART. Falsò cavillaris. Sic enim pag. 23. Officiorum virilium: ut, Consul, Prætor, Quæstor. An non Rabula nomen officij, licet ipso sæpè abutatur? Quæro iterum an carnifex, an licetor non sint in officio Magistratus? &c.*

*RHE. Questio non est, an vulgaris Grammatica etiam exempla habeat officiorum virilium, sed quid*  
pen

A vero discrepantia.

30

per Nomina virorum (quæ ab illis distinctè recenset) intelligat. Dico ego sola Nomina propria, idq̄, probo exemplis, quæ in utraq̄, regula afferuntur. Ex omnibus reliquis autem tibi objectis unicum tantum nomen Rabula excerpis, & de eo declamitas. Neq̄, tamen quicquam obtines. Nam accipio ego hanc vocem in hodiernâ significatione, qua non magis amplius nomen officij dicendum erit atq̄, Magus & Sophista, et si hæc ipsa tria nomina, satis honorifica olim erant officia. Sed cur ad cætera prorsus taces? Et quis unquam negavit, carnificem, lictorem & similes gerere officium necessarium à Magistratu impositum? Frustrâ igitur & tecum ipse hic litigas.

Cætera, quæ ad Theses meas 12. 13. 15. 16. 17. 18. 19. 21. 22. 24. 28. affers, indigna sunt responsione. Refutantur autem ab istis Thesis meæ Sylloges, si modò inter se conferantur. Quæ & fusius persequitur mea Dissertatio.

In 15. Thesi vocem τεχνικὸς admodum ineptè dicit esse idem, quod objectivè. E.g. τὸ Cæsar est disyllabum. Hic Cæsar, inquis, sumitur τεχνικὸς seu objectivè. Quâ de re legas meam Dissertationem.

In 17. falsò negas talia in vulgari Grammatica haberi.

In 19. iubes ut ostendam, Millibus militibus, millia agmina legi apud probatos auctores. Quod cuiusmodi sit, non equidem intelligo. Nam MILLE, quod in Plurali sic declinatur, est Substantivum,

C 2

quomodo

quomodo igitur sic jungi poterit cum alijs Substantivis in eodem Casu cum hic Appositio nullum locum inveniat? Et cur me vis hoc ostendere, quod nunquam affirmavi?

Porro pag. 36 sic adversus me insurgit Hartungus:

Si Indeclinabilia habentur per omnes Casus, Ergo etiam per pluralis numeri Casus, & sic Cornu, Veru, & c. erunt etiam in plurali indeclinabilia. Ratio consequentiae est: Quia OMNIS nihil excludit, eoq; magis, quod supra dixisti: Declinationem in se continere Numeros & Casus.

Accurrite, obsecro, quotquot adestis arte rationis expoliti, solvite quaeso compedes syllogisticas ab HARTUNGO mihi injectas: Dixi ego Indeclinabilia invariata terminatione haberi per OMNES CASUS, Ergo hinc sequitur, quod habeantur etiam per pluralis Numeri Casus, & sic cornu, veru, in plurali quoq; erunt indeclinabilia, OMNIS enim nihil excludit.

Num recte assumpsi, HARTUNGE tuum argumentum? Existimo ego, distinguendum esse inter Omnes Casus & inter Omnes Numeros. Si quidem Numeri non sunt Casus, neq; Casus sunt Numeri, et si ambo in Declinatione continentur. Et quia in Singulari quoq; Numero habentur omnes Casus, nullam necessitate sequi videtur, ut Cornu, Veru, quando in singulari indeclinabilia esse & per omnes Casus invariata terminatione haberi dicuntur, iccirco etiam in Plurali Indeclinabilia esse statuatur.

Quod

Quod ad probationem attinet: O M N I S nihil excludit, scilicet eorum, quibus determinādis hæc particula est adjecta. Et sic etiam hoc loco, quando dico: Indeclinabilia haberi per omnes Casus, crede mihi, nullus Casus excluditur. Sed nolim propterea statim utrumq; Numerum quoq; includas, nisi expresse audias adijci hæc verba: IN UTROQUE Numero. Exempli gratiā; quando dico? Pondo & Numero. Hic si rem ita credis se habere, profecto non falleris.

De Definitione autem Declinationis ne sis sollicitus. Ea enim, ut fieri solet, de specie perfectā loquitur. Iam ab Anomalis ad ὀμαλά, à Defectivis ad Integra non valet Consequentia.

## 27. Limax esse Græcum & tantum Masculinum.

HART. An non est hoc crimen falsi, pervertere verba autoris? Et quid Philippus peccavit? Est enim Masculinum.

RHE. Qualis vir, talis Oratio. Tu nunquā sine convicijs & gravissimis injurijs proferre quicquam potes. Et qui talia legit, non potest non suspicari, me aliquo saltem modo reum esse istius criminis, ut justo quasi zelo ista in me evomueris. sed hoc Sole clarius ostendam, te in omnibus mihi summam facere injuriam. Verba Philippi sunt hæc: IN AX Latina foeminina sunt: ut hæc fax, hæc pax, hæc fornax. Græca ferè Masculina sunt; ut, abax, thorax, limax, styrax, Arctophylax. Sentit itaq; Philippus & Micyl-

lus. LIMAX, 1. Esse Græcum. 2. Esse tantum Masculinum. Utrumq; autem hoc falsum esse dico, & rectè. Nam quòd Latina dictio sit, & non Græca, satis liquidò constat ex doctissimi Varronis testimonio, qui lib. 6. de lingua Latina sic inquit: Limax est cochlea, quæ dicitur à limo, in quo per hyemem delitescit. Deinde, quòd Limax non tantum Masculinum sit, sed multò sæpius fœmininum, atq; sic Commune, expresse testatur idem Varro loco jam allegato. Quòd pertinent exempla autorum in mea Dissertatione adducta. Plin. lib. 29. c. 6. Limacis inter duas orbitas inventæ ossiculum. Sic Eobanus Hessus Ps. 58.

*Cornua tollentis limacis more liquecunt,*

*Quæ breve ceu gemino pollice tentat iter.*

Et Iob. Major eodem Psalmo:

*Ceu fluit in tabum, cum in cursu est, squalida limax.*

### De particula TANTUM.

**P**articula TANTUM (ut sæpè mihi in alijs etiam locis obijcere soles) non exprimitur hic quidem in textu, sed tamen ex sensu Philippi & Micylli eam rectè adjeci, ut major esset rei evidentia & perspicuitas. Jcti inquit: Scire Leges non est verba nosse, sed vim earum tenere. Et omninò sensus est ipsum formale ac præcipuum in Oratione. Hinc unusquisq; cum verborum sono urgetur, ad sensum eorum provocat: Non ita sensi, Hic fuit sensus &c.  
Quod



Quod autem Philippus senserit, Limax esse tantum Masculinum, patet ex eius verbis, in quibus nulla reperitur admonitio vel restrictio, quod apud probatos autores etiam Fœminino genere usurpetur. Nam si hoc putasset, non certè Masculinam, sed Communem vocasset. Masculinum n. est, cui tantum præponitur Hic vel simile. Fœmininum, cui tantum HÆC: Neutrum cui tantum Hoc? Commune, cui tantum Hic & HÆC: Omne cui Hic, HÆC & Hoc. Aliàs nisi particula TANTUM in his dicto modo subintelligeretur, non possent numerari quinque Genera Nominum, imò nulla esset certitudo omnium istarum regularum Grammaticarum. Quid enim certi sciretur, si verborum sensus talis esset: Mensa est Fœmininum, sed non tantum est Fœmininum: In C & T Neutra sunt, sed non tantum Neutra sunt? Potuissim equidem meam Thesim absque particulâ TANTUM simpliciter sic informare; Falsum est quod Limax sit Græcum & Masculinum. Et licet non expressissem, tamen subintellexissem. Sed hic tu me facilius suggillare potuisses: Negastu, Rheni, Limax esse Masculinum? An non in Masculino hic & ille autor usurpavit? Placuit itaq; mihi sententiam meam & Philippi dilucidius explicare adjectâ hac particulâ. Exemplum tibi proponam ipsius Salvatoris disputantis cum Phariseis. Querit ex his Dominus, cujus filius sit Christus. Respondent ei, C. 4 Davidis.

Davidis. Salvator id negare non poterat, quod esset filius Davidis, seu verus homo è posteritate Davidis oriundus. Sed quia Iudæi sentiebant, eum *Tantum* esse filium hominis, & non etiam *DEI* filiū, licet expressâ voce non addidissent *Tantum*, nihilominus improbat hanc responsionem, & opponit eis dictum Davidis in *Ps. 110*, Dixit Dominus Domino meo &c. ut hinc intelligerent & crederent, Messiam non tantum esse filium hominis, sed & *DEI* filium. Ex quo patet, quod non simpliciter verba, sed sensus potius verborum ponderandus sit: neq; me crimen falsi admisisse, quando ex sensu Philippi particulam *Tantum* majoris perspicuitatis gratiâ inserui. Quod hic semel monuisse sufficiat.

29. Hæc Adjectiva unius terminationis esse tantum communia, vigil, pervigil, degener, pauper, uber, puber, Arpinâs, Aquinâs, dives, hebes, præpes, perpes, teres, &c.

*HART.* Philippus addit è quibus posteriora etiam cum Neutris juncta leguntur: ut, uber solum, pauperis tuguri

*RHE.* Est igitur Antilogia in textû. Quomodo enim Communia sunt, id est Masculini & fœminini Generis tantum, quando etiam Neutris juncta leguntur apud bonos autores?

30. Halecem esse à Nominativo Halec.

*HART.* Vnde igitur Genitivus Halecum?

*RHE.*

RHE. *Halecum & Haleces sunt a fœminino Halex, à quo & Halecem descendit. Vide meam Dissert.*

42. Genitivum non dici, quod Casus gignat, sed quod eo utamur interrogati, cujus vel originis vel possessoris res fit. Contrarium docet Priscianus lib. 5.

HART. *Priscianus contrarium docet. Ergo non est verum.*

RHE. *Non sola autoritate sua, sed maximè cum evidenti ratione, & attestante experienciâ hoc docet Priscianus. Quis enim non videat, sicut à Nominativo fit Genitivus, ita postea Genitivum gignere reliquos omnes Casus, excepto Vocativo singulari? E.g. Miles militis, militi &c. Ad Thesin. 33. inania verba ponit.*

36. Ab eus per A tantum fieri Accusativum.

HART. *Tantum falso ingessisti, cum in Philippo non extet.*

RHE. *Et si expressè vox ista hîc non legatur, tamen Sensus verborum eâ includit. Iceirco jure & rectè possum regerere, quod non tantum in A fiat Accusativus ab eus, sed etiâ in u M. Plura vide supra Thesi 27 Ad 37. & 38 Thesin somnium narras, Ubi quidem & integram Dissertationem minaris, quæ qualis futura sit, vel ex hoc tuo insipido prægustû satis apparet.*

39. SOL pluraliter declinari, tantum quando

quando pro die accipitur. *Vide meam Dissert. pag. 174.*

HART. sed suntne re vera plures soles? Ut enim res se habet in Esse, ita etiam in Dici. Rectè ergò Philippus sensit.

RHEN. Ita etiam se res habet in Dici, scilicet, quoad veritatem, non simpliciter quoad sermonem, juxta illud: οἱ λόγοι ἀληθεῖς ὡς εἰς τὸ πρὸς ἀγμάτα. Interim nihilominus etiam ad res fictas vel similitudine quadam representatas requiritur oratio Grammatica, sive ea quoad rem vera sit, sive falsa. Et ideo apud probatos autores occurrunt eiusmodi locutiones, quales in mea Dissert. p. 174. annotatas habes.

40. Accipiter habere in Genitivo accipiteris, & quidem usitatè.

HART. Typographi errarunt, Ergo non Philippus.

RHE. Omnes editiones tam veteres quàm recentes ita distinctionem positam habent, & quis usquam dixit accipiteris?

42. Ἀπὸς Composita, secundæ & tertiæ declinationis esse. Ita enim declinare liceret: Api, Melampi, Tripi, Dasypi, &c. De Polypus & Oedipus id tantum verum est.

HART. Philippus prætextum ἀναλογίας obtendit, quo nisi contentus esse velis, indefinitam scias esse regulam, nec uni adstrictam.

RHE. Nugæ sunt, ad quas ne verbo quidem opus est.

43. Probari posse Conops, Conôpis, Genitivo dici penultimâ longâ, ex tali versu:

*Fedaq; Tarpeio Conopeia tendere saxo.*

- u u - - - u u - u u - u u - -

HART. Quis hoc probat? Philippus? &c. In tertia regione Spondeus est. Excusatur autem ut illud I. AEN.

— Vos & Cyclopeia Saxa.

RHE. Vide sis, quam multa hic falsa & tibi ipsi contraria afferas. 1. Non dixi ego, quod Philippus syllabæ quantitatem immutet, sed quod hic versus probationis loco adducatur, penultimam Genitivi Conopis longam esse. 2. Dicit tu, in tertiâ regione esse Spondeum, non Dactylum, & tamen scribis Conopeium, sicut ex I. AEN. Vos & Cyclopeia saxa. Quomodo igitur metiri aliter vis hunc versum? Quis est adeo simplex, quin ista videat?

Ad thesin 44, 45. & 46. rhetoricaris. Videat benevolus lector de illis omnibus meam Dissert. præcipue p. 182. 183.

47. Adjectiva hæc: par, memor, vigil, artifex, habere in Ablativo E & I, cum tamen I tantum habeant. Nam pare, memore, vigile, artifice ab Adjectivis non dicuntur.

HART. Philippus addit: à pari usitatus, à memori usitatus. Quid vberiore opus testimonio?

RHE.

RHE. Si usitata sunt à pari, à memori, sequitur quod etiam à pare, à memore interdum dicatur ab Adjectivis par, & memor. Sed ubi? Detur unicum exemplum.

Ad Thesin 48, 49. & 50. rursus colorem affers. Conferantur tantum mea Sylloges & Dissertatio cum textu vulgaris Grammaticæ.

51. Masculina singularia tantum esse: Sol pro stella, Mūdus pro orbe, Alvus (ubi & genus nota) Carcer pro custodia, almus, ut almi Duces, almæ Musæ. Quibus & ROS addi potest.

HART. Quam absurda sententia est, si plures statuas (loquitur de Sole & Mundo) tam inepta etiam locutio: Λόγοι γὰρ ἀληθεῖς ὡς περ τὰ πράγματα.

RHE. Aliud est oratio, aliud est vera oratio. Sic apud Logicos dantur propositiones non tantum veræ, sed etiam falsæ. Et cur non Grammaticè quoq; de rebus fictis vel quasi, loqui possimus? Sic Purgatorium Papisticum quo ad rei veritatem planè non datur, nihilominus veras & falsas de eo locutiones efformare possum: ut, Purgatorium fictum est à Pontificijs: purgatoriū est metuendum animis hominum. Non dantur plures soles, plures mundi. Quales loquendi formulas è Cicerone & alijs probatissimis autoribus allatas vide in mea Dissertatione.

59. Iustus

59. Jussus habere in plurali jussa, cum tamen Jussu sit  $\mu\omicron\nu\acute{o}\pi\omega\lambda\omicron\nu$ , & Jussum integrum nomen, à quo in plurali jussa dicitur.

HART. Nonne hoc à Philippo additum?

RHE. Malè additum est Iussus? Quia Iussu est  $\mu\omicron\nu\acute{o}\pi\omega\lambda\omicron\nu$ .

60. Eventus habere plurali etiam eventa. Est enim hoc utrumq; regulare & integrum in utroq; numero. Nam etiam in singulari dicitur eventus & eventum, apud Cic. & alios.

HART. De Eventus voce tam clarè, ut nihil supra. Quis autem dicit in omne eventum?

RHEN. Cicero in Partitionibus: Si cujusq; facti & eventi causa ponetur.

61. Specus Neutrum, fieri in plurali Masculinum. Nam Specus Mascul. tam dicitur in singulari, quàm in plurali, & semper manet 4. declinationis. Neutrum autem caret plurali. Vide meam Dissertationem.

HART. Ostende mihi tale quid in Philippo.

RHEN. Videatur pag 134, linea 13. & 14.

64. Domi poni Adverbialiter, propterea quod localiter usurpetur. Dici-  
mus

mus enim : Sum Lipsiæ, Localiter,  
nec tamen Adverbialiter.

HART. Estne Adverbiale & Adverbium unum  
seu idem?

RHE. Ego nunquam dixi, quod Adverbiale & Adver-  
bium idem sint, sed quod localiter poni non sit Ad-  
verbialiter poni, cum præsertim & adiectiva acce-  
dant : ut Sum domi meæ, sum domi Cæsaris, &c.

67. Astu tantum in singulari dici, plu-  
rali Astus, cum tamen & Aitus sin-  
gulari numero legatur.

HART. Si tantum monstraveris, rex esto. U-  
nius inclusio non est alterius exclusio.

RHE. Ipse sensus addit hanc vocem, ut supra ostendi  
Thesi 27. Præterea si unius inclusio non est alterius  
exclusio; nullum dabitur certum præceptum in totâ  
Grammaticâ disciplinâ. Nam si dico : In C & T.  
Neutra sunt : putabit alius, te doctorem secutus, hic  
posito genere Neutro, non statim excludi Mâsculi-  
num, aut fœmininum, quia unius inclusio seu posi-  
tio, non est alterius exclusio seu remotio. Sic nullum  
quoq; erit defectivum vel numero vel casu. Quia  
unius inclusio, non est alterius exclusio.

70. Sponte Ablativum tantum in usu  
esse. Nam & Genitivus spontis usi-  
tatissimus est.

HART. In margine habetur Spontis.

RHE.



RHE. Hæc sunt ipsissima verba vulgaris Grammaticæ p 141. Sponte Ablativus TANTUM in usu est. Nec quicquam aliud meus liber habet in margine & qui posset etiam absq; αὐτολογία. Editionem VVittebergensem ego examinavi, & allegavi eam, quæ nunc in hoc Electoratu juventuti proponitur. Quid enim mihi cum alijs editionibus, quæ in scholis non amplius haberi debent.

74. Opus esse idem, quod Necessè vel ἄρεια, neq; casum habere. Est enim idem quod Necessarius Adjectivè, neq; caret casu Nominativo & Accusativo: ut, Hic liber est opus tibi. Hi libri sunt opus tibi. Audio hunc librum esse opus tibi, hos libros esse opus tibi. Necessè verò est substantivum tantum.

HART. Casum habet scilicet, à se, seu Nominativo diversum. Quid enim aliter est ἄρεια Græcis, quàm casus Latinus, scilicet quando ultima syllaba aliter cadit?

RHE. Quam pulcrum est sapere! Si hæc sophisticatio valeret, tum quodvis Neutrum esset defectivum

Casu

*Casu, quod tamen nullus unquam Grammaticus affirmavit. Casus igitur non à toto, sed à parte & posteriori sic vocatur.*

75. A vinum, os oris, jus & æs non dici in plurali vinorum & vinis, oribus, juribus & æribus.

*HART. Mentiris. Vide pag. 181. clausulam Philippi: Invenias & alia multa, quæ duntaxat certis Casibus in usu sunt. Sed nos communiora persequi volumus.*

*RHEN. Quis est tam bardus ac simplex, quin videat, longè alium esse sensum verborum istorum Philippi aut Micylli? Nempe inveniri præter jam commemorata Defectiva, etiam ALIA multa, quæ duntaxat certis Casibus usurpantur. Est igitur hoc Argumentum à baculo ad angulum.*

*Ad Thesin 79. 83. 84. 86. meras ineptias allatas video.*

88. Tempus imperfectum esse, quod actionem quidem cœptam, sed incompletam significat. Nam detur unicū exemplum Imperfecti, quod actionem incompletam significet. Nimirum Præsens est hæc descriptio.

*HART. Fingere liceat: dum domum redibat Iephtha, occurrit ei filia. Nondum autem ingressus erat, sed etiam nunc hærebat in via. Sic in sacris: Occurrebant ei servi, id est, erant adhuc in termino ad quem, nondum verò occurrerant.*

*RHE*

RHE. Talium exemplorum centena millia adducere posses, sed ne unicum quidem probabit id, quod intendis. Sunt enim hæc verba narrantis rem dudum gestam & prorsus completam. Dum autem adhuc durabat Iephthæ reditus domum, & dum in fieri erat occursum servorum, hoc est, antequam completi essent isti motus, nemo rectè dicere poterat: Iephthæ redibat domum, sed jam redit, id est cœptus est quidem reditus, nondum verò completus, seu nondum pervenit ad suum terminum. Sic quando cœptus tantum erat occursum servorum ac nondum completus, nemo in Imperfecto dicere poterat: Servi occurrebant, sed in præsentis, Servi occurrunt. Vides igitur, quod hæc descriptio Imperfecti (de motu cœpto, nondum verò completo) nō nisi præsentis temporis Grammatico convenit. Imperfecto verò utimur, quando rem gestam, nec amplius in fieri positam narramus. Est & hæc magna inscitia, quod dicitur: Servi erant adhuc in termino ad quem, nondum verò occurrerant. Non certè tum in termino ad quem erant, sed in via seu medio ad terminum. Aliud sunt termini à quo & ad quem, aliud verò est medium seu via inter hos. Thesin 89, & 90. meris vanitatibus oneras.

92. Gerundia referri debere ad Modos, & esse verba.

HART. Agendo nihil, estne hîc Substantivum? Recipit enim casum Verbi sui, agere nihil. Sic ad speculandum arcem.

D

RHE.

RHE. Absurdum tibi videtur, si nomen Substantivum dicatur recipere Accusativum, sed mirari desines, quando naturam Verbalium rectius d. dixeris. Sic Participium est nomen Verbale, & recipit casum Verbi: ut, Legens Virgilium, Insimulandus avaritia. Exempla plura vide supra in Ommissis Thesi 44. item in Frischlini Latino-Græcâ Syntaxi, pag. 18

93. Supina in uM significare tantum Activè: ut, Cænatum, statum, sonitum, vapulatum.

HART. Activè significant, quæ scilicet Activa sunt. Neutraliter, quæ Neutra.

RHE. Defendere volebas veterem Grammaticam, sed nunc eandem mecum oppugnas. Agnoscis nimirum veritatem meæ Theseos, quod Supina in uM, non tantum Activè significant, sed etiam Neutraliter & passivè, id est, quod verbi sui significationem prorsus retineant.

94. Supina in u significare tantum Passivè: ut, Fædum inceptu, fædum exitu quod vites, Liv. l. 1. Vvæ celes proventu, Plin.

HART. Fædum inceptu, id est, quod inchoari debeat seu fieri. Reliqua exempla Neutorum sunt: Ergò non recte accommodantur.

RHEN. Siccine fallere vis Lectorem? Inceptu ego non posui pro exemplo Neutro, sed ut integra

A vero discrepantia.

52

gra esset sententia Livij, & cur reliqua exempla Neutorum non rectè accommodentur? Sunt enim Supina in u, & de his sine exceptione affirmatis, quod Passivè significant. Id quòd pluribus exemplis refutatur in meà Dissert. pag. 243.

Ad Thesin 95. quæ affers, indigna sunt vel unico verbo.

98. Misceo habere Supino mixtum, & veteres Mistum dixisse.

HART. Unde ergò mixtura, sicut apud Colum. Mistura?

RHE. Ubi nunc tuus Scaliger, qui cum Verre-  
pæo, Frischlino, Calepino, Stephano & alijs doctissi-  
mis viris non nisi Mistum & Mistura agnoscit?  
Stephanus innumerabilia fere habet exempla in The-  
sauro suo, & semper tamen Mistum citat, nunquam  
mixtum. Vide & Dissertationem meam.

De reliquis hîc sequentibus vide meam Dis-  
sertat.

110. Ringo Verbum esse, quod habeat  
rinxi, rictum. Ringore enim tantum  
dicitur, & quidem absquè Præte-  
rito.

HART. Medius fidius, ut malè & Græcâ fide a-  
gis, Ubi enim p. 256. Rinxi. Disquisivi equidem ho-  
rum, idem vidi quod cæcus, id est, nihil.

RHE. Quare & vide, amice lector, paginam  
in meâ Sylloge citatam 217. ibi lineâ 4. invenies hæc

ipsissima verba Grammaticæ vulgaris: Ringo, rinx-  
xi, rictum. Nunquam ego pag. 256. & tamen istud  
quoque mihi affingit. Nam in eum Grammaticæ li-  
brum mihi inquirere placuit, qui in Scholas hujus E-  
lectoratus publicâ authoritate introductus etiam  
nunc pueritiæ manibus teritur: non in alias peregrina-  
nas aut veteres editiones.

III. Pango Præterito etiam habere  
pepigi, quod tamen à Pago est.

HART. Philippus p. 257. dicit: Pango, quod &  
Pago pepigi. Rhenius Philippo quid præstat? Nonne  
hoc est tantis viris glaucoma offundere? &c.

RHEN. Hæc sunt verba Micylli p. 217. à me ci-  
tata: Pango pepigi & panxi, pactum. Et postea in  
scholijs additur: Quod & Pago pegi dixerunt ve-  
teres.

II2. Pungo simplex, Præterito habere  
etiam punxi.

HART. Non ἀπλῶς sed ἁελικῶς, idque ex  
Prisciano, Ergò ἀναλόγως.

RHEN. Num responsione etiam hæc digna  
sunt? Quemadmodum & reliqua verba ad Thesin  
II3. & II4. apposita. Non hic Analogia, sed usus  
autorum respiciendus est.

II5. Capesso & Faceffo habere in Præ-  
teritis tantum Capessi & Faceffi, &  
carere Supinis.

HART.

HART. In margine est. Cic. 6. Verr. Face-  
situm.

RHEN. Verba Philippi vel Micylli p. 735. sunt  
hæc: In S o desinentia, I V I habent Præteritis, I-  
T U M Supinis; ut, Lacesso, laceßivi, laceßi-  
tum. Excipe Faceßo, faceßi: Capesso, Capessi absque  
Supinis. Iam sive in margine, sive in scholijs adda-  
tur Faceßitum, est ἀντιλογία seu contradictio.

Theses 116, 117, 118, 119, 123, 124, 127, 128, 129.  
meris ineptijs deformantur: Vide meam Dissert.

131. Memini & Odi habere etiam si-  
gnificationem Præteriti: Cœpiverò  
etiam Præsentis.

HART. Confer Philippi pag. 288. Memini, Odi,  
Cœpi Præsentis significationem habent & Præteriti  
una voce. Tu disjungis. Et cur non Præsentis? Catul-  
lus:

Odite, nec amo; nec possum dicere, quare.

RHE. Hic prorsus contrariam sententiam mi-  
hi affingis, & cum larvis dimicas, quasi ego nega-  
rem, Memini & Odi habere significationem Præsen-  
tis, & Cœpi Præteriti.

132. Impersonalia certam personam  
non recipere. Nam me oportet,  
te oportet. Mihi liquet, tibi liquet,  
dicimus.

HART. Personalibus Verbis personam detraxit:  
Impersonalibus autem induit.

RHEN. Semper dico, distinguendum esse inter Personam Nominis & Verbi, item inter Personam & Casum. De Personâ nominis quaestio est. Ajo igitur contrâ quàm vulgò docetur, Impersonalia recipere certam Personam scilicet Nominis aut Pronominis, quamvis tantû in obliquis. Nam & ME, TE, SE: Mihi, tibi, sibi denotant certam personam; non solus Nominativus.

133. Impersonalia carere Supinis, Gerundijs & Participijs.

HART. Contrarium habet Philippus.

RHEN. Vide quaeso vulgarem Gram. citatâ pag. 258. lineâ 6.7. & eadem hæc Theses. mea verba reperies.

Ad Thesim 134. 135. 136. nihil affers.

137. In Participijs accedere tum demû Participium Futurum in DUS, quando Verbum ipsum Passivè usurpatur: ut, Sequendus.

HART. Passivè, id est, Passivâ formâ seu modo. Non autem per se & essentialiter. Committitur ergo rursus Fallacia  $\sigma\omega\upsilon\theta\epsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma$  καὶ διαπέσεως. Nam & Verbum ipsum p. 297. non refertur ad Thema, sed Participium verb. scilicet in DUS.

RHE. Hic Oedipo conjectore opus esset. Verba Philippi vel Micylli sunt hæc: A Deponenti triplicia veniunt Participia: Præsens, ut, Loquens; Præteritum, ut: Locutus; & Futurum, ut: Locuturus. Interdum



Verbum autem & Futurum in *D u s* accedit, quando videlicet VERBUM ipsum Passivè usurpatur. Jam discutiamus tuam *α ε ι ω*. Si *ε* Passivè hoc loco non respicit significationem Passivam, sed formam seu Modum, tunc omne Deponens habebit quatuor Participia. Quis nullum datur Deponens, quin habeat formam seu terminationem Passivam. Quòd verò *ω* Verbum ipsum propriè hìc pro Themate verbi ponatur, & non referatur ad Participium in *D u s*, quilibet facile videt, quò modò sanos habet oculos & Sinciput.

138. Participia degenerare in Nomina Compositione & Comparatione. Contrarium enim patet ex sequentibus: Inauditus, inhumatus, indonatus, incomitatus, inexhaustus, insciens, insperans, infandus, nefandus. Literæ expectatissimæ. Quid illo regno est spoliatus?

HART. Hæccinè sunt verba Philippi? Tu conjungis, ille sejungit.

RHE. Nusquam in toto Philippo vel Micyllo invenies, quòd statuant Participium aliquod manere Participium, si comparetur; sed semper & ubiq; Comparativa & Superlativa pro Nominibus habent. De Adverbijis hìc non loquor. Quapropter perinde erit, sive conjungas, sive disjungas. Unde

D & multi

& multi Compendiarij quatuor modos illos, quibus Participia in Nomina degenerent, desumpserunt, apud quos itidem nihil certius est, quàm nullum Participium comparari.

*Theses 139. 140, non indigent novâ defensione.*

## S Y N T A X I S.

151. Adjectiva Substantivorum naturam induere, quando duo vel plura sine Substantivo concurrunt. Nam ex significatione sunt Substantiva, etiam quando absq; alio Adjectivo ponuntur.

HART. In hoc exemplo Terentiano: *At jam faciet, neq; ut opinor, sine tuo magno malo, hæsitat puer. Omnia enim talia moventur per tria genera: Tuus, a, um, Magnus a, um, Malus, a, um.* Ergò directè regula prima Syntaxeos esse nequit.

RHE. *Mira est tua subtilitas docendiq; dexterritas. Sed heus tu, etiamsi puer ex te audiet, concurrentibus pluribus Adjectivis, unum ex illis Substantivi naturam induere, num iccirco hinc sciet, quodnam illud sit, quod Substantivè ponitur? Ut in hoc exemplo Terentiano: Sine tuo magno malo, quo indicio Malum hic Substantivum esse animadvertet? Nullum proferre potes. Igitur mecum ad significationem redi, Quia videlicet Malum hoc loco est idem quod infortunium vel damnum, & hinc intelliges*

relliges Substantivum esse. Idem esto iudicium de  
cæteris. Vide meam Dissert. pag. 310. 311.

152. Relativi casum sequenti Verbo  
tantum respondere: ut, Pecunia, cu-  
jus avidus est totus mūdus. Honor,  
quo dignus es.

HART. Verbum hoc loco est idem, quod di-  
ctio; sive Verbum sit, sive Nomen. Et sanè, Nonnè  
ut in verbis inest copula, ita etiam copula cum No-  
mine Verbum constituit: ut, Homo est currens, id est,  
currit. Homo est cupidus, id est, Cupit. Sic, Cujus est  
egenus, id est, cuius eget?

RHE. Quanta est tua *σχεβλή*? Quàm miserè  
te torques, ut ægrotanti isti regula remedium ali-  
quod invenias. Quatuor *σόφα Φάρμακα* protuli-  
sti, quorum duo superius in Omisiss habentur Thesi 31.  
Iam hic alia duo promiss. Primum est, Verbum hoc  
loco generaliter sumi pro dictione, quod nullus un-  
quam sic explicavit. Sed quia isti tuæ explica-  
tioni ipsemet diffidis, ideo quartum *Φάρμακον* ad-  
ducis, videlicet quod Copula cum Nomine verbum  
constituat: ut, cuius est egenus? Id est, cuius eget? u-  
bi servatur etiam eadem constructio. Sed num sic et-  
iam, Pecunia, cuius cupidus est Mundus, id est, cu-  
jus cupit? Apage cum tuis ineptijs, aut cede veri-  
tati.

Ad Thesin 153, 154, 155. rursus rhetoricaris.

156. Quæ copiam aut contrà significat.

D S modo

modò Genitivum, modò Ablativum recipere. Multa enim solum Genitivum, multa etiam Ablativum tantum recipiunt.

HART. *AEquum censorem postulo, qui dextrè judicet, quid intersit inter Philippi & tuam regulam. Non enim dixit. & Genitivum & Ablativum, sed modò. Si tria solida sunt, & probè refutata in tua Sylloge, trifurcifer ero.*

R H E. *Nisi verba meæ Sylloges huc adscripsissem, fucum etiam hoc loco faceres lectori, quasi nullum alud discrimen sit inter meam & Philippi seu Micylli regulam, quam quod particula ET ac MODò facere possunt. Videatur hic meum Compendium pag. 102, 103. Ubi similiter particulam MODò reperies. Est igitur hoc manifestum falsum.*

158. Ablativum proprium Casum esse Comparativi. Genitivum verò Superlativi. Cibi avidior, Tibi amicior, dignissimus laude, Tibi amicissimus.

HART. *Quasi Philippus non expressè addiderit: Tametsi etiam alios casus recipiant Comparativi & Superlativi, scilicet quos Positivi illorum adsciscunt.*

R H E. *Sunt hæc contradicentia, Ablativum esse PROPRIUM Casum Comparativi, & nihilominus etiam*

nus etiam alios casus Comparativo subijci posse. Proprium enim est, quod omni, soli & semper convenit. Explicandum igitur erat, quando & quomodo Comparativus Ablativum & alios casus recipiat. Quod in meo compendio factum est pag. 105. Vide & Dissert.

Ad Thesin 159. 160. 161 nil nisi ineptias affers, quas perspicue satis discutit mea Dissertatio.

163. Accusandi verba, damnandi & absolvendi Genitivum adsciscere, qui speciem facti significet, aut Ablativum, qui Genus. Innumerabiles enim hinc sequerentur Solœcismi: Accuso te scelere, maleficio, crimine. In simulo, incuso, coarguo, defero, postulo, convinco te peccato, probro, crimine, facinore &c. Item, Punio te exilij, carceris, vinculo- rum, verberum. Multo te trium florenorum. Hæc enim omnia speciem facti significant, sicut illa Genus.

HART. Hanc regulam è Valla & Erasmo habet Philippus. Singula exempla dispice, quidq; te acuunt advertite. Suntne autem pueris regula tradenda sine exemplis? Minimè.

RHE.

RHE. *Quid tibi vis respondeam ad pueriles istas ineptias? Iudicet, qui judicare potest.*

164. *Æstimandi verba Genitivum vel Ablativum pleraq; sed Genitivum frequentias adsciscere. Etsi enim Nihili pendo, nihili facio; Non asfis, non flocci æstimo, pendo vel facio dicimus: tamen nemo veterum dixit; Nauci pendo, nauci æstimo, non pili pendo vel æstimo, nihili consulo &c. Multo minùs reperimus apud probatos autores: Nihilo puto, nihilo facio, nihilo pendo; Maximo, minore, minimo, plurimo, tanto, quanto, pilo, asse. &c. æstimo, duco puto, pendo, facio, habeo, consulo.*

HART. *Restrictio hujus regulæ latet in totis pleraq; & sunt de ijs, quæ sunt in usu.*

RHE. *Quem fructum igitur & certitudinem hinc habet puer; quando ipsi ad pleraq; respiciendum est? Nam ex puris Particularibus nihil sequitur. Deinde, Quæ regula non legitur de ijs, quæ in usu sunt? Usus enim est norma communis omnium regularum Grammaticarum.*

*Theses 165. 168. 169. 170. 171. 172. inanibus verbis exagitantur.* 173. Te-

173. Terentium non secutum esse Analogiam, cum And. i. i. dixit: interea mulier quædam ab hinc triennium commigravit huc vicinæ.

HART. In exemplo Terentiano quod Analogiam carpis, minus candidè agis. Nam & Philippus docuit, quod denotet factum, quod semel accidit ante triennium.

RHEN. Verba Philippi vel Micylli p. 359. hæc sunt: Neq; secutus est analogiam Terentius, cum dixit in And. i. i. Interea mulier quædam abhinc triennium ex Andro commigravit huic vicinæ. Quid igitur hic desideras? Quid carpis?

174. Casum, qui sequitur Infinitivum ESSE, & quæ similis Constructionis sunt, convenire cum proximo casu præcedente. V'sitatissima enim sunt: Me jam totum scis esse Pompeij. Video te esse acri ingenio. Spero hanc rem tibi fore cordi.

HART. Nulla universalitas hic, & unum aut alterum exemplum veritatem non infringit. In primo enim tuo: Me scis esse totum Pompeij, ordo constructionis hoc requirit. Sic TI BI est præcedens Casus, cum quo convenit sequens, scilicet cordi. Quid hic absoni aut absurdi?

RHE. Dum modò Lectori imponas, te ipsum  
potius

potius quibusvis vanitatibus & contradictionibus implicare constituisti. Primò concedis, dari exempla regulæ contraria, sed tamen unum atq; alterum non infringere ejus veritatem seu universalitatē. Quid? An non ex Loßio de Inductione hoc discere potuisses, si Topica Aristorelis nondum attigisti? Deinde probare niteris, hæc exempla non esse regulæ contraria, Sic n. esse verba ordināda: Scis me esse totū Pompeij: Spero hanc rem tibi fore cordi. Verum quis puerorum è schola Syntaxeos non videat, hunc & nullum alium esse ordinem naturalem istorum verborum: Scis me totum esse Pompeij; Spero hanc rem fore tibi cordi? Sicut dicimus: Sum Pompeij, res est mihi cordi.

*Ad Thesin 175.178. rhetoricaris.*

181. Ah, Vah, Hem & Proh, Nominativo jungi.

HART. Exempla habes in Philippo p. 466. è Terentio, Virgilio, & c. quæ expunctum ibis.

RHEN. Debetur & hoc tuæ audaciæ. Nam ne unicum quidem exemplum Nominativi in toto Philippo, totoq; Micyllo reperitur.

184. Lac & Sal brevia esse.

HART. De Lac habes notam marginalem, quæ satisfaciet tuæ accusationi. Sal autem planè non extat.

RHEN. Verba Grammaticæ vulgaris sunt hæc: In C longa sunt. Et in margine: Lac omnes Grammatici



matici excipiunt, sed exemplum nullum adducunt, inquit Despauterius. Deinde L desinentia brevioria sunt. Præter Sol & Nil, & peregrina in EL. Num igitur his verbis asseritur Lac & Sal brevioria esse? Exempla vide in mea Dissertatione.

185. In Es longa esse exceptis Masculinis, quæ Genitivis crescunt. Nam & hæc Fœminina, Communia & Omnia corripuntur: seges, teges, miles, interpres, dives, teres, præpes, reses, deses.

HART. Hoc idem Philippus habet pag. 496. Et duri miles Ulyssis.

RHE. Exemplum quidem istud habet, sed exceptio tamen de solis Masculinis loquitur. Miles vero est commune. Et cur ad cætera omnia prorsus taces.

#### IV. Obscuritate & Perspicuitate.

**I**N sequentibus pagellis nihil aliud video, nisi meras suggillationes cum criminationibus conjunctas, quas tibi ab initio statim domum remisi, quam ob rem pluribus verbis nihil opus est.

DE

## DE DONATO.

**P**agina Sylloges 41. In Imperativo Amet, Ament, ament, rectè omisi. Nemo enim vel ingeniosissimorum hominum discrimen aliquod inter Amet vel Ament Imperativi, Optativi & Coniunctivi ex usu Autorum monstrare potest; aut interroganti sine dubitatione respondere, cuius Modi sint; Deus misereatur nostri. Dominus sit tecum. Valeant qui inter vos dissidium volunt.

**HART.** Discrimen, quod desideras, Ecce! In exemplo, Dominus sit tecum, aut vobiscum; qua fides erit aut certitudo in Christianis, nisi constet hoc verum esse ut effertur? si nos modò ita gesserimus, uti decet: Der Herr sey mit euch: In Coniunctivo autem, Der Herr mag mit euch seyn. Sic in omnibus ferè Decalogi praeceptis, & in exemplis à te ex Oratione Dominica allatis nonne imperandi vim agnoscis? Vt igitur discrimen est inter actum & potentiam; ita etiam inter plenarium Imperativum & Coniunctivum seu permissivum. Imperativus enim actui integro & sepe coacto inseruit: Subiunctivus seu potentialis libero & imperfecto. Habes meam mentem, & à Scaligero non alienam l. 5. c. 114. quòd scilicet, Imperativus sit maioris in minorem. Optativus autem minoris in maiorem.

**RHE.** Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui. In re autem manifestà non opus est multis verbis

verbis. Nondum video, quomodo ex usu Autorum  
essentiale aliquod discrimen inter Amet Imperati-  
vi, Optativi & Coniunctivi ostendas. Nam hæc e-  
rat illa Quæstio proposita. Quid tu igitur respon-  
des ad eam?

Primo Imperativum, inquis, subservire actui in-  
tegro & sæpe coacto: Subiunctivum verò seu Potenti-  
alem inservire actui libero & imperfecto E. g. Do-  
minus sit vobiscum, in Imperativo significare, der  
Herr sey mit euch / idè, propter certitudinem fi-  
dei in Christianis. In Coniunctivo autem, der  
Herr mag mit euch seyn. Sic Princeps aliquis:  
Faciatur sol es thun / in Imperativo; Non autem  
Faciatur, Er mag es thun / in Coniunctivo &c. De-  
inde è Scaligero dicis; Imperativum esse maioris in-  
minorem: Optativum autem esse minoris in ma-  
iorem.

Sed paucis te absolvam. Ex multis millibus tibi  
sufficiant exempla meæ Dissertationis, ut videas  
eam totam adhuc prorsus immotam contra te stare.  
& per consequens etiam Syllogem meam, quæ ab illa  
munitur ac defenditur.

Christus Dominus cæli & terræ Marci ii. dicit ad  
sicum: Μηκέτι ἐκ σῆς εἰς τὸν αἰῶνα μὴδεὶς καρ-  
πὸν φάγοι, id est, Ne posthac ex te quisquam fru-  
ctum edat. Lutherus: Nu esse von dir niemand fei-  
ne frucht ewiglich. Et Matthæi 21. μηκέτι ἐκ σῆς  
καρπὸς γένηται εἰς τὸν αἰῶνα, id est, Ne posthac  
ex te fructus nascatur in æternum, Nu wachse  
E auff

auff die hinvort nimmermehr keine frucht. Die  
 sodes, quid tu sentis de hisce exemplis, in quibus O-  
 ptativus & Coniunctivus, sicut & alibi sæpius, pro-  
 miscuè usurpantur? Estne hic Optativus apud Mar-  
 cum, minoris in maiorem, Christi videlicet in ficum  
 vel arefactionem arboris? Nam tibi Coniunctivus  
 apud Matthæum citato loco significat actum libe-  
 rum & imperfectum? Lutherus cum omnibus Or-  
 thodoxis & sanis hominibus id negat, ideòq; vertit:  
 Du wachse keine frucht / Du esse niemand:  
 Non autem, Es mag keine frucht wachsen / Es  
 mag niemand essen &c. Et hoc ipsum etiam satis  
 probavit eventus. Nam immediatè sequitur in  
 Matthæo, καὶ ἐξηραίνθη ὁ σῖκος καὶ ἡ συκῆ. Et a-  
 refacta est continuò ficus. Et eo viso discipuli mirati  
 sunt, dicentes: Quomodo continuò exaruit ficus?  
 Ubi nunc igitur, Hartunge, tua distinctio? Excessit,  
 evasit, erupit, in fumum adeòq; in nihilum abiit to-  
 ta. Malui verò hæc in Græcis & Latinis simul de-  
 monstrare, cum illic distinctæ Imperativi, Optativi  
 & Coniunctivi sint terminationes, apud Latinos au-  
 tem solos, præsertim in tertiâ personâ (si ex hypothe-  
 si, Amet Imperativi, Optativi & Coniunctivi statu-  
 atur) propter ambiguitatem sit perpetua Petitio  
 principii.

Quòd autem ratione significationis eadem sit ra-  
 tio Imperativi & Coniunctivi apud Græcos & La-  
 tinos, vel ex eo patet, quòd & horum & cæterorum  
 Grammaticalium τεχνολογημάτων eadem est  
 definitio

definitio in utraq<sup>ue</sup> linguâ. At fidei certitudinem, in-  
 quis, requirere Imperativum in precationibus, idq<sup>ue</sup>  
 patere ex Oratione Dominicâ. O mi vir, si sæpius tu,  
 & cum attentione oravisses orationem Dominicam,  
 haud dubiè etiam in sextâ petitione Coniunctivum  
 deprehendisses: καὶ μὴ εἰσενέγκης ἡμᾶς εἰς πει-  
 ρασμόν. Vides igitur, quòd eadem fidei certitudine  
 etiam ipsa Scriptura Coniunctivum Modum pro-  
 miscuè cum Imperativo usurpare soleat, & iccirco  
 propter Theologicam tuam Objectionem non neces-  
 sarium sit, ut Imperativus Modus pluribus personis  
 donetur. Exempla satis multa è profanis quoq<sup>ue</sup> au-  
 toribus, si opus esset, proferre possem & vellem. Ex  
 abundantia tamen & hoc addo, quòd meus Donatus  
 nequaquam excludat secundam personam Impera-  
 tivi, ut tu quidem allatis exemplis secundæ personæ,  
 eum suspectum reddere velle videris. Atq<sup>ue</sup> ut tan-  
 dem certi aliquid concludamus, satis hætenus de-  
 monstratum esse arbitror; Easdem imperandi &  
 precandi formulas non tantum in Imperativo, sed  
 etiam in Indicativo & Coniunctivo apud Latinos  
 efferi; quin apud Græcos etiam Optativo; ut videre  
 licet in Præceptis Decalogi, in Oratione Dominica,  
 in meâ dissertatione pag. 42. 44. 46. & in Latino-  
 Græcâ Syntaxi Frischlini pag. 425. 426. Quemad-  
 modum igitur Amabis significat du wirst lieben/  
 vnd du solt lieben/ Amabit Er wird lieben / vnd  
 er sol lieben: ita etiam Amet Coniunctivi significat  
 Er liebe/vnd er mag lieben &c. pro intentione &  
 sensu

sensu loquentis aut scribentis. Neq<sub>3</sub> enim Coniunctivus semper est potentialis; neq<sub>3</sub> aliunde quàm ex sensu & contextu orationis Latina rectè in Germanicum transferri possunt.

De Optativo videatur tantum mea Sylloge & Dissertatio, ubi Hartungi phantasmatis abundè satisfactum est.

### De particulâ C U M.

HART. pag. 60. lin. 8. & 9. Particula C U M infallibilis nota est Coniunctivi, si strictè, id est, causaliter accipiatur: ut, A me nihil habebis, cum sciam te ingratum esse.

RHE. O miseros illos puerulos, qui tali manu-  
 ctione Modos internoscere docentur! Omnis Nota  
 debet esse notior re notandâ. Nam eius officium  
 nullum est aliud, nisi ut tanquam externum signum  
 in sensus incurrens rem aliquam latentem ignoran-  
 ti patefaciat. Unde suâ sponte sequitur, quòd ne  
 nomen quidem Notæ mereatur ea, quæ non per se  
 cognita sit iis, quibus aliquid notificare debet. Iam  
 quis talium A b c d a r i o r u m scire potest, ubi particu-  
 la C U M strictè vel causaliter accipiatur, ut inde  
 ceu ex infallibili signo Coniunctivum à reliquis Mo-  
 dis internoscere discant? Imò quis ex illis omnibus  
 pueris scire potest, quid sit ipsum strictè & caasali-  
 ter accipi? An non igitur obscurum atq<sub>3</sub> ignotum  
 per longè obscurius & ignotius docere pueros ten-  
 tas? Quod si tamen ad Germanicam voculam die-  
 weil

weil confugere velles, (quanquam tu ejus nullam mentionem facis) unde statim in textu aliquo Latino resolvendo hanc interpretationem ambiguae dictionis *Cum* divinare poterunt ejusmodi pueri, qui nondum Modos inter se discernere queunt? Si verò Praceptor eis suggerere debet significationem, eadem facilitate posset eis statim indicare Modum, ne per obscuras ambages & tot difficultates vix tandem colligere eum tandem necesse haberent. Sed ut magis ob oculos tibi ponam tuam in Donato imperitiam; Quæro ex te, ubi & apud quem Autorem legisti, particulam *Cum* causaliter exponi, quando adjungitur Imperfecto, Plusquamperfecto & Futuro Conjunctivi? Quis enim unquam interpretatur *cum amarem* dieweil ich liebete / *cum amavissem* dieweil ich hatte geliebet / *cum amavero* dieweil ich werde lieben? Sic in Passivo. Semper enim hæc particula hisce Temporibus Conjunctivi appositæ, est Adverbium Temporis, neq; causaliter exponi potest. Vides igitur, qualem Conjunctivi notam pueris inculces.

Sed querere amplius lubet: Estne *Cum* infallibilis nota Conjunctivi, quando causaliter accipitur? Tu ais, Ego nego, & negatum probo sequentibus Ciceronis exemplis: Gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam. Tibi maximas gratias ago, cum tantum meæ literæ potuerunt. Mihi gratissimum fecisti, cum cum nobis amicum quàm servum maluisti. Non te tui piget, homo levissime, cum ea cul-

pas, quæ in historiis mihi gloria ducis? Vides igitur, ô Hartunge, quam parum versatus adhuc sis in Donato, & quantopere te ipsum fallat hæc tua, quam infallibilem putasti, nota. Sed audi aliud. Omnis vera & infallibilis nota debet esse perpetua & universalis: At verò quoties Coniunctivus neglectâ particulâ CUM, alias voculas adsciscit, ut, Si, licet, quamvis, ut, etiamsi, tametsi, & similes? Quomodo igitur pueri tum agnoscent Coniunctivum? Et ne diutiùs detineamur, queso te, cur Notâ aliquâ externâ peculiari indiget Coniunctivus, cum reliquâ Modi omnes eâ carere possint? Quid? An non ut cæteri; ita & Coniunctivus per omnes Diatheses & per omnia Tempora ac personas peculiare suas habet terminationes, quibus à cæteris perspicuè dignosci queat? Nemo hoc negabit, nisi qui sensu & ratione omni destituitur. Plures incommoditates à particulâ CUM in hoc Modo provenientes videat, qui volet, in meâ Dissertatione & Sylloge. Neq; enim operæ pretium est toties eadem repetere.

### De amatum ire.

HART. p. 90. Coronis est de Amatum ire. Quam formulam tandem ire defensum volo, credoq; eam nihil differre ab ea; pergo visum. Sic visum eo, ire visum, Behen daß mans sehe.

RHE. Amatum ire, quando pro integrâ pbrasi hoc modo sumitur, nunquam non cum Saturnio, Valla & aliis doctissimis Grammaticis aperte approbavi,



probavi, cum nihil usitatus & tritius sit. Qui dubitat, is legat pag. 69. meae dissertationis, ubi simul in precedente pagina & illud patebit, quo respectu Amatum ire exclusum eam, videlicet, quando pro Futuro Infinitivi Activi, ut sit à multis, venditur. Secum igitur & hoc loco pugnat meus Antagonista.

Atq; sic, Deo bene juvante, satis manifestè, ut spero, liberavi universam meam Syllogen ab omni vel levissimæ calumniæ & falsitatis suspitione, quam suis calumniis ac misellis cavillationibus importunissimus iste homo meo libro affricare conatus est, ut hoc modo in vis bonis omnibus redderentur universi mei labores, quos ad commodum juventutis promovendum longè maximos ac tædiosissimos per aliquod tempus exantlavi. Sed reipsâ deprehendet candidus lector, ne unicum quidem verbum in totâ meâ Sylloge contra me obtinuisse hunc adversarium, quo fit, ut æquiore etiam animo feram injurias mihi illatas, & DEO justo judici vindictam omnem libentissimè committam.

## DE PARALIPOMENIS.

**H**ic non opus est, ut ad omnes phantasias respondeam. Multa his immiscentur aliena, aut meis saltem non adversantia. Ideoq; duobus tantum verbis quæ videbuntur perstringam, Lectori permiffurus judicium.

Pag. 94. & 95. imperitè confunduntur Scribi & Posse scribi, quorum hoc tantum, non illud, de  
E 4
essentiâ

essentia vocis articulatae seu humanae esse dixi, circa quam Grammatica versatur. Sic etiam Ridere & Possere ridere differunt ut Accidens & Proprium. Nihil est igitur objectio de homine, qui manibus & pedibus careat. Nam is nihilominus scientiam recte scribendi habere potest. Neque cognata est haec Quaestio illi logicae: An oratio prolata sit de essentia Syllogismi. Logica enim primo versatur circa notiones animi; Grammatica vero circa voces, quae sunt symbola notionum & rerum.

Pag. 96. De ovibus, vaccis & cuculis concedo ἀνάλογον τι Quod & ipsum nihilominus solertia hominis articulatis vocibus exprimere tentat, sicut bombardae sonum & alia.

Ibid. Definitionem usitatam Grammaticae bono consilio servavi, etiamsi facile eam corrigere potuissem. Tu autem valde ineptus es, qui omnes definitiones ad hanc vulgatam: Homo est animal rationale, putas exigendas esse. Quorsum enim tam multis verbis hanc rem persequi necesse habuisset Aristoteles in Analyticis & Topicis, si eadem esset ratio omnium rerum definiendarum?

Particulam ἡγή usurpat Aristoteles in definitione Naturae, Virtutis & alibi. De Descriptione modo dictum est. Finem vero externum Grammaticae, videlicet cognitionem cuiusque linguae, & rerum peregrinis linguis tractatarum quia tu ignoras, ideoque unum tantum ei finem, nempe internum assignas, & minus tamen accurate.

Ibid.

Ibid. Orthographia sic dicitur, quia docet rectè scribere: est ratio Notationis nominis, quæ ineptè à te confertur cum hac ταυτολογία: αἴθρων ὁ ἄνθρωπος est homo.

P. 97. Amicus certus, est membrum Orationis, non tota oratio.

P. 98. De vocum Originationibus agere pertinet quidem ad Etymologiam, sed non ad meum institutum, cum hic solus tractatus justum aliquod volumen efficere possit.

P. 99. Ridiculus es, quando verbum i, vel tu i, (totam, inquam, Propositionem) confers cum voce Musa, vel Hæc Musa.

P. 100. Non minus apud Græcos quàm Latinos figuræ notantur ab omnibus pariter Grammaticis. Pro κυκλώων autem ἔσσυγκυκλώωσις deinceps me monitore scribe κυκλώων ἔσσυγκύκλωσις. Aliàs te videbunt homines Græcæ linguæ periti.

P. 102. Crinibus attrahis verba Scaligeri de Notatione nominis Versus loquentis, ad redarguendum Priscianum ἔσPhilippum de Etymologia literarum. Sed distinguere debebas inter Rem ἔσModum rei. Nam res quidem est una, modus rei multiplex esse potest. Sic deletio est una, sed fit diversis modis; vel complanatione, vel cancellatione, vel alio.

P. 110. Opponis mihi diphthongum, quasi diphthongus non sit etiam vocalis.

P. 111. Veram figuram majusculi Iod non habet meus Typographus, ideoq; ἔσI ex necessitate quadam substituit.

E S

Ibidem.

*Ibidem: Equus scribendum putas. Num igitur Eqfus pronunciandum?*

*P. 112. Distingue inter o & œ. De voce Titivillitium meliora cognosces ex Adversariis Adriani Turnebi & Plauto Taubmanni.*

*De Literarum usu in sequentibus multa pervertis.*

*1. Particulares quasdam meas assertiones tu tanquam universales oppugnas.*

*2. Quod ego de congerie multarum dictionum, vel potius de integris versibus affirmavi, tu ad singulas dictiones accommodas.*

*3. Quod de sono dictum est, tu de ipsis rebus accipis. Quod pertinent inter alia pag. 117. voces pulchrum, Gratia, gratiosus, & pag. 118. lux, lumen & coruscus.*

*In primis verò p. 117. insignem mihi facis injuriam, quando me literam R tyrannam & crudelē dixisse ais. Nam id ex te fingis, ego nunquam dixi. Videantur mea verba p. 399. Nec minus ineptum est, quod contra asperitatem literæ R mihi opponis versum illum Virgilij: Omnis in Ascanio chari stat cura parentis. Nam inter singulas istas literas vel una vel plures syllabæ intersunt; ne ulla confragositas vel asperitas locum invenire possit.*

*Paginas 119. 120. 121. 122. è Scaligero descriptas, nec mihi quicquam adversantes meum non est ad examen aliquod revocare. Quemadmodum nec cætera quæ sequuntur, mea petunt aut evertunt.*

*P. 130.*

P. 150. Succurro Hartungus dictum putat quasi succis curo: quod ego non credo. Nam longè plures imò infiniti sunt modi aliis succurrendi.

P. 143. Falsum testimonium perhibes, quando me Vitium pag. 406. per c scriptum velle affirmas. Nam ne apicem quidem hac de re monstrare potes. Convicium autem ego non à Vitium, sed à Convici deduco propter rationes à te ipso hic allatas.

Ibid. Vaidicus, inquis, rectè etiam dicitur, pro eo qui vaticinia edit. Ubi legisti vaidicus?

Seculum & Frænum videntur esse ex eorum numero, de quibus adhuc certant Grammatici. Rationem quam de Frænum attuli, Stephanus in suo Thesaurο mibi suppeditavit.

P. 144. Ridiculus es, quando principia tua Metaphysica perverti metuis, propterea quòd pueros è secundà personà colligere jubeo, num Quatio, an Quatio scribendum sit.

P. 146. An Abdomen, ut tu putas, ab Omento deducatur, aliorum esto iudicium.

Ibidem, Frustra mihi Scaligerum objicis, cum non re ipsà sed verbis tantum discrepemus. Composita enim Periodus subdividi potest in δίλωλον, τρίλωλον τετράλωλον.

P. 148. Tant enè animis cœlestibus iræ: pro diverso respectu potest Exclamatio & Interrogatio dici.

Ibid aëreus & non ahereus, item aheneus & non aëneus scribo, non ex quadam inconstantia mearum præceptionum, (Nusquam enim contrarium docui) sed propter usum & exemplum Autorum.

P. 149. 151. non repugno posse Appendicem illam de Orthographiâ Germanicâ pluribus vocabulis locupletari. Verum non placent mihi tuæ cogitationes de voce Abenteuer. Sicut nec illud probo, quod dicis: Demonstrabitur aliquot mille voculis. Peccas enim contra meam Grammaticam p. 525. lin. 7. à fine.

P. 152. De Luthero manifesta injuria est. Nam verba mea p. 422. hæc sunt: Sehlen funiculus coriaceus, loco belcii, Hoseæ 11. v. 4. Ich lies sie ein Menschlich Joch ziehen/und in Sehlen der liebe gehen. Hic non animadverso, quid sit Sehlen/ pro eo legunt quidam, in seylen. Tu verò, Hartunge, inultiosè corrumpendo textum meum, pro Animadverso, mihi obtrudere vis animadverto, & hinc occasione sumis in me furenter debacchandi.

P. 154. Err vel Ehr pro Herr rectè scribi censet. Iudicent eruditi.

P. 155. Græcæ linguæ ignorantia te iterum confundit.

Dixi ego p. 427. quòd in Græcis nominibus, quoties Diphthongi ai & oi apud Latinos resolvuntur, i pro duplici consonante accipiatur: ut Μαῖα Maja, Τροῖα Troja, ubi i est pars diphthongi resoluta. Hic tu mihi opponis, Troia Gaza, item, Αρμαῖξ fixit Troia.

Disce igitur, quòd aliud apud Græcos sit Substantivum τροῖα, & aliud Adjectivum τροῖα, quo  
rune

rum hoc nullam patitur resolutionem diphthongi ai vel oi, cum neutram in se contineat, & ideo littera i in *αἰ* & *οἰ* semper manet vocalis.

Reliqua etiam tua vel nuge sunt, vel non aded magni momenti, ut non à quovis scholastico discuti queant. Iccirco nihil attinet in eis immorari.

P. 162. Propitius tibi dicitur quasi Prospicius, sed tibi tantum. Tantundem etiam arrident, quæ vel de Cicur, vel de Comicis confuse protulisti.

P. 164. Areopagus quia penultimam naturâ brevem habet, ut ex Homero & Euripide demonstravi, consentientibus Pausania, Hesychio, Suida & Etymologico magno, ideo quivis sanus intelligit, Accentum extra & intra verbum esse in Antepenultimâ. Vide meam p. 443.

P. 177. Monstrum horrendum, informe, ingens dicuntur per Ellipsin Copulativæ Conjunctionis. Neque plura Epitheta sunt in hoc versu: Magnâ juvenum stipante catervâ.

P. 184. Abstractum semper prius est concreto. Distingue Grammaticam & Logicam considerationem. Nam Grammaticis fortitudo à fortis: Logicis verò contra fortis à fortitudine dicitur. Grammatici enim simplicitatem vocum; Logici verò simplicitatem notionum spectant.

P. 185. Contra definitionem primæ personæ Grammaticæ è Varrone lib. 2. de Anal. desumptam, quæ talis est: Persona prima est ejus, qui loquitur aut scribit: sic opponit Hartungus: Ego meditor novam  
Gramma-

Grammaticam, Ergo loquor aut scribo. Item:

Ego morior, nec loquor, nec scribo.

Ergo non sum primæ personæ. Item:

Ejus est prima persona, qui loquitur aut scribit,

Ergo quicumq; non loquitur, nec scribit, ejus non est prima persona.

Resp. Si ne Hercules quidem adversus duos, quomodo ego triplicem hunc nodum rite & scite solve-ro? Tentabo tamen, & paucis te absolvam. Grammatica non considerat tuam personā, quatenus tua phantasia intus aliquid agit, sed quatenus ea notiones beneficio sermonis foras proferuntur, id est, non ipsas meditationes, aut notiones tuas; sed earum symbola, voces seu orationem considerat, sive prolata sive scriptam. Ideoq; sine personā Grammaticā poteris ut persona physica tecum aliquid cogitare. Sed quamprimum hæc verba proloqueris aut scribis (sicut fecisti in hoc libro) Ego meditor novam Grammaticam, Ego morior &c. statim arripit hoc Grammaticus, & dicit, hunc sermonem esse primæ personæ.

P. 186. Contra id, quod p. 473. dixi: Ego & Tu per se, primò & immediatè cum verbis primæ & secundæ personæ jnnigi, (ubi quidem sphaalma Typographicum etiam commissum est) cætera scil. nomina, per accidens, quatenus cum his Pronominibus coherent: ut, Ego Virgilius lego, Tu Apollonius scribis &c. Contra hoc, inquam, Hartungus mihi objicit, quòd Impersonalia personis bearim, Personalialia  
ijdem



hisdem privarim, quæ sanè quomodo huc spectent, non intelligo, Veruntamen huic querelæ satisfactum est suprâ thesi 132. à vero discrepantium.

P. 187. Queris ex me, cur non à Planeta Plane-  
tria dicamus, sicut à Poëta Poëtria. Respondeo,  
Quia usus Autorum deficit, & Analogia non est satis  
ad aliquid audendum.

Ibid. Desideras exemplum probati autoris, qui  
Parasitus Parasita dicat. Quid? An non legisti Ho-  
ratiū 1. Serm. Satyr. 2. 20. Custodes, lectica, cini-  
flones, parasitæ.

Tyrannus Tyranna quoq; te usurpaturum ais,  
cum apud poetas extet: Morta tyranna, item Regi-  
na tyranna. Dignum patella operculum. Cur non  
etiam nominas illos Poëtas, qui ita loquuntur?

Reliqua tua τὸ ἀπερρεῖα ut ipsemet p. 190. vocas,  
nihil moror, cum nec obesse, nec prodesse videantur.

De Adjectivis illis, quæ propria vel specialia voco,  
apertè profiteor p. 476. quòd vel uni alicui, vel pau-  
cis tantum Substantivis adijci possint, ideoq; de ni-  
hilo est, quod contrâ musitas.

P. 195. Falsum dicis, quòd ex solo ordine dedu-  
cam tres gradus Comparationis, Vide meæ Gram. p.  
477. Dico enim Gradus Comparationis (audin' re-  
spectum?) non autem ordo, per Metaphoram sic di-  
cuntur &c.

Ibid. Usus Comparativi secundum Vallam est  
rem vel attollere vel deprimere, ratione scilicet ob-  
jecti vel materiæ, non autem ratione formalitatis  
secun,

SO PARALIPOMENA.

secundum quam semper exaggerat.

P. 201. Prædives p. 478. expresse etiam sic declaro, quod valeat idem quod præ omnibus aliis, aut præ multis dives. Præpotens quoque nusquam exposui omnipotens, ut tu mihi affingis, sed potentissimus. Videat benignus lector p. 478. & conferat cum Hartungi pag. 201.

P. 203. Cæcus, surdus, formidolosus, felix, memor, immemor probavi p. 480. Active & Passive usurpari; Hartungus ad Metalepsin Rhetoricam ista refert. Iudicet qui hæc legit. Sed illud præ cæteris enorme est, quod in dicto illo Terentij And. 1. 1. Sed hæc commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficii, Hartungus noster vocem Immemor Active exponendam esse contendit. Videatur contextus Comici, & feratur de utriusque nostrum expositione iudicium.

P. 204. Quomodo status, a, um Participium esse probet, videat qui volet. Significatio temporis discriminat Nomen & Participium, quæ in hac voce non apparet.

Ibid. Quæris an utrumque sexum intelligam, Resp. sic. Ideo enim generaliter & indefinite locutus sum.

P. 205. 206. Etiam si mulieres quoque sint & dicantur Equites, aurigæ, advenæ, vernæ, indigenæ, fœnifecæ; tamen id nondum probat, hæc nomina esse Generis Communis Grammatici, nisi exempla probatorum Autorum afferas, quibus adjectivum Masculini &

lini & Foeminini generis eis appositum esse demon-  
 stres. Alias eadem facilitate colligam; Homo, ani-  
 mal, corpus, Substantia, fur, latro, mancipium & si-  
 milia esse communis generis? quia & haec nomina  
 de viris ac mulieribus dicuntur. Hoc meum postula-  
 tum tu non ignorabas, attamen cum aliud nihil ha-  
 beres, inane potius verborum strepitum movere vo-  
 luisti, quam prorsus tacere. Multi enim ita simplices  
 sunt, ut tuas vanitates non persentiscant, si credere  
 fas est.

P. 206. 207. Non ego simpliciter & universaliter  
 affirmavi, quod omnia καὶ ὑπόνοια exponi pos-  
 sint & debeant, sed addidi, saepe id fieri apud pro-  
 batos autores. Et res manifesta est, cum dico in  
 Eunuchum suam scil. fabulam & similia plura, quae  
 usu discenda sunt. Insigne autem hic additur Em-  
 blema: Plinium non esse classicum autorem.

P. 208. Quid sibi velint & quorsum pertineant  
 ista vocabula è Frischlini Nomenclaturâ descripta,  
 non equidem video nec intelligo. Fortassis etiam non  
 est operæ pretium talia exquirere. Idem & de voce  
 Animans dictum esto. p. 210 & Polenta p. 211.

P. 213: In voce pandectæ me reprehendis, quod  
 de Genere ipsius meum iudicium non interposuerim.  
 Tu verò ex Græcis id Masculinum esse adstruis. Tri-  
 umphus ante victoriam. An nescis Margarita, char-  
 ta, catapulta, & similia quaedam apud Græcos et-  
 iam merè Masculina esse, & tamen apud Latinos

F

manere

manere tantum feminina? Quid? an non satis valida est tua ratio?

P. 215. Promittis te ostensurum, in meis novis Declinationibus non haberi numerum Singularem. Syllogismum autem proponis talem:

Quodcumq; est indefinitum, non est singulare.

Sed tuus numerus est indefinitus.

Ergo non est singularis.

Major constat è lib. 2. Dialect. de propositionibus Indefinitis, quæ signo carent. Paradigmata autem tua signo singulari carent. Ergo singularis numerus male à te appellatur. Singulare verò & individuum æquipollere liquet: Articulus nempe facit individuum δεῖταιόν.

Resp. Quam pulchrè teneas etiam prima elementa Loſſianæ Dialecticæ, vel pueri qui nondum cre lavantur, hinc videre possunt. Tædet me tuarum ineptiarum, ideoq; duobus verbis te dimittam. Syllogismus tuus nullus est, quia constat quatuor terminis. Sensus enim tuus & collectio, ut ex probatione tua patet, talis est:

Quæcumq; Propositio est indefinita, ea non est singularis:

Atqui tuus numerus seu paradigma est terminus simplex indefinitus, carens quippe signo singulari seu Articulo Hic hæc hoc: E. g. Mensa dicis, non, Hæc mensa.

Ergo numerus tuus non est singularis, seu nullum tuum paradigma est singularis Numeri.

Ecquid

Ecquid arridet tibi hic Syllogismus, in quo non tantum quaternio est terminorum, sed etiam confusio terminorum Grammaticorum & Logicorum. Et an non puerile est hoc, quod tantum individua, singularis numeri Grammatici esse putas? Imò tu nec discrimen inter singulare Grammaticum & Logicum seu Metaphysicum nosti. Mensa licet ut καθόλου sumatur (nam, quod tu adhuc nescis, κατ'ἑξοχήν potest etiam Individuum haberi, sicut Poëta vel Orator &c.) nihilominus etiam in singulari numero Grammatico declinari potest, cum scil. res universalis sit una in suo genere, scil. collectivè.

P. 216. Ex media Metaphysicâ idem hic disputator Pluralem quoq; numerum in exilium pellit hoc modo:

Ut res se habet in essentia: ita etiam in unitate. Sed rei certæ una tantum est essentia.

Ergo etiam una tantum unitas.

Probationem addit è Platone, videat qui volet. Græca enim sunt; legi non possunt.

Obstupesco prorsus, quoties te Metaphysicè disputantem audio. Sed te mediocribus quoq; solutionibus contentum esse scio. Essentia est vel singularis vel universalis. Essentia singularis vel individua est etiam una tantum numero, & hæc quatenus talis apud Grammaticos plurali numero caret: Et si enina Georgii, Fabii, Cicerones &c. dicamus: tamen id non intelligitur de una singulari essentiâ, seu uno aliquo certo individuo, sed de aliis pluribus, quibus

commune nomen est. Essentia verò Universalis collectivè accepta, est apud Grammaticos singularis numeri: distributivè verò sumpta, pluralis numeri est. Imò Grammatica non semper essentiam rerum spectat. Hinc multa habet pluralia voce, & singularia significatione, & contrà.

P. 217. Crassior est hæc inscitia, quod omne Futurum Participium in *D u s*, à quocunq; Verbo descendat, Passivè significare nescis. Ided enim me reprehendis, quod imitandus in Passivâ significatione posuerim.

In sequentibus suaviter rhetoricaris.

P. 220. Possessiva resolvuntur in Genitivos suorum Primitivorum, scil. quando sumuntur ut Possessiva. Interim potest una eademq; vox diversimodè usurpari, ut nemo tironum ignorat. Exempla sint: Versus Homericus, Imitatio Homerica.

P. 221. Quod regius & regalis promiscuè in exemplis Ciceronianis à me p. 501. allatis usurpentur, tam manifestum est, quàm quod manifestissimum. Idem monuit jamdudum etiam vir accuratissimus Iohannes Rivius libro 5. suæ Grammaticæ de Possessivis. Quapropter Hartungi iudicium meritò aperte veritati & tanti Viri auctoritati postponendum erit.

Ibidem. Dixi ego p. 502. nullum discrimen esse inter Adjectiva Corinthiacus & Corinthiensis. Huic contradicit Hartungus, asserens exempla Romanus & Romaniensis, quorum posterius nomen mihi nunquam

quam auditum est: item Hispanus & Hispaniensis.  
Credo iam tum ex se ipso eum passum esse, cum ista  
scripsit. Ego enim de cepis locutus sum, ille de alliis  
opponit.

Hujus farinae cum sint omnia etiam, quae adhuc  
restant, vel punctum temporis in eis legendis aut ex-  
aminandis me amplius consumere piget ac tædet.  
Ideoque,  $\xi\delta\nu$  Deo sicut incepti, sic etiam finio, & meo  
isti Antagonistae corporis & animae sanitatem, omni-  
bus autem hominibus amorem & constantiam de-  
fendendae Veritatis, ac promovendae discen-  
tium utilitatis ex animo precor  
& opto.

## Errata.

Pag. 20. l. ult. etc. 21. l. 17. liceret. 23. l. 7.  
quia. 25. l. 8. à fine: status. 26. l. 13. inde.  
29. l. 7. ut. 32. l. 14. inscitiam. 57. l. 15.  $\sigma\phi\alpha$   
Cætera benevolus lector per se corriget.

F I N I S.






L I P S I Æ,



*Valentin am Ende excudebat.*

ANNO 1612.






00 D.

[Cb Be. 237]

(1017)



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



3.

is Rhenij



# NSIO

## SARIA

pomenon con-  
NI HARTVNGI  
m instituta.

Ranis.

ορείου δ' ἔπεπῆ  
ερ ἀρτοπώλιδας.



MA,

Ellingerum Bibliop.  
nde excudit.

DC. XII.

3

